10

COMMENTATIO

EXHIBENS DISQUISITIONEM

AN ARS OBSTETRICIA SIT PARS CHIRURGIAE?

QUAM

IN HONOREM

VIRI

JAC. CHRIST. GOTTL. SCHAEFFER,

MED. DOCT. SERENISS. PRINCIP. A THURN ET TAXIS A CONSIL. INTIM. EJUSQ. ARCHIAT. ORDIN. BAVAR. CORON. MERIT. EQUIT. PLURIUMQ. SOCIETAT. SODAL.

QUI ANTE QUINQUAGINTA ANNOS DOCTORIS MEDICINAE GRADUM ASSECUTUS EST,

AD CELEBRANDUM DIEM XVI JULII,

EDIDIT

AUCTOR

ED. CASP. JAC. DE SIEBOLD,

MED. STUD.

GOTTINGAE

TYPIS DIETERICHIANIS.

MDCCCXXIV.

At non propter se cetera omnia ad artem spectantia aut discimus aut docemus, aut denique auscultamus, sed quod eorum unumquodque sit ad finem utile.

GALEN.

VIRO

JAC. CHRIST. GOTTL. SCHAEFFER

MEDICO RATISBONENSI ETC. ETC.

HOC OPUSCULUM

SACRUM

VOLUIT

AUCTOR.

NOBILISSIMO ET CARISSIMO

AVO SUO

ED. DE SIEBOLD S.

Quamquam laeta quadam atque jucunda re, quae contingit mortali, omnes fere moventur homines eodemque fruuntur gaudio et voluptate, ac ii, qui propiores sunt homini talis fortunae participi: nihilominus eorum est quam maxume officium et desiderium, qui et amicitia et consanguinitate conjuncti sunt felicitate beato, ad vires suas talia condecorandi solennia atque secundum animi dotes sua conferendi, ut et ipsis minima quidem sit pars solemnis hujus diei actionis. Talis nobis offertur occasio, quum abhinc quinquaginta annos Doctoris gradum assecutus Argentorati, edita dissertatione de Magnesia die XVI Julii MDCCLXXIV thesibusque adjectis rite defensis *), eodem anno Ratisbonae in urbe tua patria, medicinam exercere coepisti in usum hominum patientium atque ad scientiam omnibus, quibus par eras, augendam viribus. Licuit tibi per Deum optimum maxumum, per tot discrimina rerum hunc solemnem videre diem, ex quo, more a patribus nobis tradito, summis in medicina honoribus denuo coronatus, maxuma cum animi tranquillitate potes respicere tempus praeteritum, quo tot hominibus solatium fuisti atque malorum levamen, summo cum gaudio contemplari praesentiam, ubi omnes te prosequuntur amore ac aestu-

---

*) Dissertatio inauguralis chemico-medica de Magnesia quam etc. etc. die XVI Julii MDCCLXXIV solenniter defendet JAC. CHRIST. GOTTL. SCHAEFFER Ratisbonensis. Argentorati. typis Heitzii. 4.

matione, atque omni hilaritate exspectare futurum, quo te, virum prudentia, virtute, eruditione, ſplendore gloriae, opibus, plena auctoritatis et dignitatis senecta florentem, manent tantummodo honos nominisque immortalitas. Recte si dixerit Pythagoras, duo omnium pulcherrima divinisque operibus consimilia nobis a Deo fuisse concessa, veritatem eloqui et mortalibus facere benigne; omni cum jure praestanti hujus philosophi satisfecisti placito; nam et laudat te patria tua de sanitate suis abs te reddita gratiasque tibi quam maxumas debet, et laudat te doctorum numerus, quos erudiisti libris abs te editis, quibus ornasti scientiam eamque in meliorem ponere lucem studuisti. Hujus non est loci, disserere de iis, quae ſecisti per totum vitae tuae spatium: nec biographiam conscribere in animo mihi est, nec panegyricum: nam meae nec est adolescentiae nec experientiae, de viro ferre judicium, qui sublimior est omni mea laude: ast in posterum omnia ea in votis habere licet, quae homines beare atque felices reddere possunt. Sed quid dico in votis habere? Jam habes: nec opus est votis. Absunt enim omnes causae, quae senectutem secundum Catonem miseram reddere dicuntur; quarum prima est, "quod amovet a rebus gerendis:" nam omnia tua eodem, quo juvenis, robore peragis, et majore quidem consilio, auctoritate atque prudentia: clementissimo tuo principi, cujus totam domum celsissimam summo amplecteris amore, eadem

praestas officia ut antea: scientiae nullo modo renuntiasti occupationibus, nec abdicasti te perlegendis scriptis et veterum et recentiorum in re medica peritorum, scribendisque novis: naturae contemplationi eadem te tradis diligentia atque cura in eaque reficis te a negotiis tuis novasque quaeris vires; — neque alteram causam cognoscis, "quod senectus corpus faciat infirmius:" nam summa frueris sanitate et corporis et animi: — tertiam quoque causam "quod privet omnibus fere voluptatibus" omnibus refutas argumentis: summa enim senectutis maturae gaudia tua sunt; delectat te numerus nepotum hilaris, in quorum coetu ipse evadis juvenis: summam voluptatem hauris ex scriptis veterum auctorum; quae evolvis defessus negotiis medicis in villa tua, quam ipse saepissime nominasti Tusculum tuum, et Ciceronis instar, qui scribebat Tusculanas suas quaestiones, "quum nuper in otio esset," tunc temporis diligentissimus es maximeque versaris in litteris, si recreari velis ab eis: — et quod ad causam quartam, quam nominat noster, "quod haud procul absit a morte," non negandum quidem est, a senectute non longe abesse mortem. "Sed miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam longa aetate non viderit" ait Cicero, mortem, qui neque neonato parcit neque viro robusto. Nam "Visendus ater flumine languido Cocytus errans et Danai genus infame, damnatusque longi Sisyphus Aeolides laboris. Linquenda tellus etc." ut canit Venusinus

ille poeta. Nostri vero est optare mortem longe longeque remanentem a sene nostro dignissimo, quem omnes uno eodemque amplectimur amore! — — Cui voto ex intimo meo animo suppeditato nil addere possim, quam ut benigno capias animo ea, quae tibi porrigo. Huc et illuc cogitabam, quomodo satisfaciam desiderio, digno quodam modo ea solemni tuo die conferendi, ut respondeam mori veterum, dona quaedam tibi consecrata in aram tuam ponere. In mentem mihi veniebat longe haesitanti, opusculum quoddam conscribere tibique id consecrare, ut tali modo et tuum celebrem solenne, et tibi gratias agam publicas pro benigno tuo animo, quo me, nepotem tuum natu maxumum, comitatus es hucusque in studiorum meorum cursu et exemplum dignissimum et suasor in rebus arduis. Quare accipias benevolo animo has studiorum meorum primitias, permittasque, ut eas in tuam tradam tutelam. Spero, veniam me apud te inventurum pro temeritate, si hoc crudum atque immaturum opus tibi tradere audeo; sed absque omni mihi ignoscas dubio, qui indole illa tua haud minus laeta fronte exigua ab infimis quam magna a summis accipere soleas. Vale et tuo patrocinio ac gratia nepotem tuum fovere ne intermittas.

Gottingae ex musaeo meo. Anno MDCCCXXIV die XI Julii.

LECTURIS S.

Erat apud Athenienses lex quaedam, qua cavebant, ne fabula, cum primo doceretur, a spectatoribus exploderetur, etiamsi plausu eam accipere non possent. Duplex hujus rei ratio esse videtur: una, ut summa cum actorum tranquillitate et spectatorum attentione fabula peragerelur, nec quisquam in ea judicanda impediretur: altera, ut ne auctor ignominia publica a conscribendis in majorem artis usum delectationisque fructum fabulis deterreretur. Ipsum post adversam fortunam a via proposita non dejectum suos tempore agniturum errores sperabant eosque postea emendaturum confidebant. Ego autem multos esse sperans hujus legis memores hanc opellam meam benevolo quoque animo excepturos eam vobis tradere ausus sum, juvenilem quidem atque immaturam, sed solemnis certe diei occasione excusabilem. Erunt fortasse, qui me mirentur hoc tempore ejusmodi suscepisse et pertractasse scribendi argumentum, quod me historiae medicinae literariae perlustrare campum multaque inde mutuari cogeret: quoniam historiae tractatio maturioris aetatis viros, quin senes solos deceat, qui et doctrinae copiis et multarum rerum usu instructi solo huic satisfacere possint negotio. Quibus reponere vix aliquid ausim, cum eandem ipse profitear sententiam: id modo monuerim, mihi nullum historiae conscribendae fuisse propositum, quam rem vel difficillimam esse vel ab adolescentis ingenio omnino abhorrere ipse probe intelligo. Quae vero ad rem meam perspicue illustrandam in auxilium ex illa erant advocanda, ea afferre conatus sum, et ita feci, ut a primis doctrinae nostrae initiis usque ad novissimum tempus brevem historiae adumbrationem conscriberem, omnibus librorum testimoniis diligenter laudatis instructam, e quibus ut quae quoque tempore doctrinae nostrae fuerit conditio, poterit intelligi: ita me non absque libris evolvendis multisque pertractandis hanc commentationem exarasse, satis apparebit. Quod enim in omni historia vel utilissimum est, ad fontes ipsos et rerum testimonia adire, id in hac

quoque disquisitione, inprimis ea in parte, quae historiae describit momenta, non negligendum putavi, sed ea, quae alii de arte nostra scripta ediderint, sedulo indicavi eorumque laudavi sententias. Veterum quoque opiniones me nullo modo neglexisse et ex scriptoribus, quos vocant classicos, nonnulla attulisse, si quis mirabitur, is me scito, ex quo primum tempore accessi ad literas, tanto studium illud antiquitatis amore esse complexum, ut non multum abfuerit, quin totum me ei darem, meque hodie cum medicae artis studio illud conjungere, cum hae literae humaniores commune quasi omnium doctrinarum vinculum constituant. Brevior fui in enumerandis recentioris historiae rebus, quae ob oculos nostros essent positae; ea solummodo illustrare suscepi, quae consilio responderent meo. Illud autem omni qua poteram cura vitare studui, ne temere de quoquam judicaverim, probe intelligens, judicandi temeritatem minime decere adolescentiam: ubi iniquior sententia non ferri non poteram, ita eam tuli, ut in neminis reprehensionem me incursurum arbitrer. Si vero erunt, qui me hoc in opusculo nimis acriter invectum esse accusent in obstetrices, hi in memoriam sibi revocent omnia illa delicta fraudesque ab iis commissas. Nihil enim unquam res literaria illaeque artes, quae solum virum eruditum et a pueris gravissimo huic negotio intentum decent, commodi et fructus poterunt exspectare a feminis, quae omni tempore plus damni iis attulerunt, quum alienam sibi arrogassent provinciam. — Superest, ut palam gratias agam omnibus viris, qui summa liberalitate et benevolo animo operam meam adjuverunt, inter quos vir celeberrim. Mende maximis me sibi obligavit officiis, cujus bibliotheca multos recentiores libros, quibus ipse carebam, mihi praebuit: multa quoque me debere profiteor viro clariss. Marx, per quem bibliothecae regiae opulentissimo thesauro omni commoditate frui licuit. — Vale, L. B. et studiorum meorum primitiis fave, poetae memor, qui voluntatem, si desint vires, laudari voluit.

---

§. 1.

Multi sunt nostris etiam temporibus scriptores, qui artem obstetriciam chirurgiae esse partem putantes veterum hac in re sequuntur definitionem, quos illa tenebat opinio, esse artem obstetriciam chirurgiae subditam ab eaque omnia accipere praecepta sua atque leges: et hac in falsa opinione summo cum jure causa quaerenda est, si non eo, quo decet, studio adhuc colatur haec ars a pluribus medicinam chirurgiamque professis *a*), quum eam non satis digno loco habere possint ii, qui partem chirurgiae solummodo eam putant nec scientiam proprio jure nitentem. Quae veterum auctorum sententia, esse artem obstetriciam ita coniunctam cum chirurgia, ut sine maxuma ejus detrimento ab ea avelli non possit, facillime a nobis excusanda est: nam secundum ejus temporis statum scientiarumque conditionem chirurgia ea erat ars: "quae manibus curat *b*)".

---

a) Funk: *Etwas über die Nothwendigkeit, mehr Zeit auf das Studium der Geburtshülfe zu verwenden.* Baldingers *neu. Magazin für Aerzte.* XIV. B. 2. St.

Christ. Ludov. Pistorius: De studio artis obstetriciae medicis quam maxime necessario. Viteberg. 1811.

b) Aur. Cornel. Celsi de medicina libri octo. Cur. et stud. Th. J. ab Almeloveen. Basileae. 1748. 8. lib. VII. init. praefat. — Finem chirurgiae in adhibendis solum instrumentis posuisse adhuc auctores diu post Celsum viventes elucet ex Marc. Aur. Severino: De efficaci medicina libri III. Francof. 1671. fol. qui libr. I. part. I. cap. 2. de vario chirurgiae statu his utitur verbis: "Triplex ad summum chirurgiae status, a quo tempore primum extitit, mihi semper visus est. *Ferramentarius, qui legitimus:* Medicamentarius, qui suppositius; et mixtus ex his; qui modi omnes varie nunc inter hanc nunc inter illam rationem exculti exercitique, pro variis istorum studiis, proque vario dominatu fuerunt."

et nullo modo mirari possumus, artem obstetriciam chirurgiae adnumerari ab iisdem viris, qui ad juvandas parturientes in instrumentis tantummodo iisque interdum crudelissimis adhibendis omnem posuere salutem, si mulieres a natura, optuma auxiliatrice, destitutae medicorum quaererent opem. Omni vero jure et quam maxume vituperandum est, nostris diebus quosdam esse auctores, qui foveant hanc opinionem et generi humano et scientiae noxiam: neque scientiam omnibus numeris absolutam sibi esse ostendunt neque erga genus humanum bene sentiunt: nam ars obstetricia, quae nititur chirurgiae operantis principiis, in instrumentis tantummodo adhibendis omnem quaeret salutem, neque respiciens naturam eam lenissimis adjuvabit auxiliis, quae decent medicum obstetricium caute omnibus prospicientem *c*).

§. 2.

Licet nos nullo modo fugiat, quam maxumum capere omnem scientiam fructum studiumque singularum doctrinarum facilius reddi, si sub unius scientiae auspiciis colatur et exerceatur, tanquam una arbor omnes alit stirpes ramosque nutrit: nihilominus in artem medicam haec comparatio transferenda a nobis non est, quum ejus singuli rami cohaereant quidem inter se, sed non ex communi radice orti colendi a nobis sint. Si communem in medicina ponere stirpem necesse esset: est illa aut vitae sanae conservatio aut aegrae in pristinam salubritatem restitutio, nam hoc primus et ultimus ejus finis; et rectissime dicit Celsus *d*), ut alimenta sanis corporibus agricultura, sic sanitatem aegris medicinam promittere. Quin ipsum nomen medicinae originem ducit a medendo et

---

c) Hoc legimus in: Ph. C. Hartmann *Theorie der Krankheit.* Wien 1823. 8. §. 7. p. 4. "*So gehören Anatomie und Zoochemie in den Kreis der Physiologie, Semiotik in jenen der Pathologie, Geburtshülfe zur Chirurgie* etc."

d) Celsus l. l. libr. I. init. praefat.

graece ἰατρικὴ sc. τέχνη a verbo ἰάομαι. Omnes vero veterum auctores medici eundem finem in elaborandis operibus suis habuere, in iisque experientiam, communem omnium rerum matrem, multo magis invenimus excultam, quam theoriam; et huic gravissimo fini omnia in eorum scriptis nobis videntur referri.

§. 3.

Quid mirum autem, artem medicam usque ad Hippocratis tempora fuisse empiricam sectamque dogmaticam primum duxisse initium ab hoc medico, quem designat Celsus *e*) "parentem omnis medicinae" et eadem ex causa Scribonius Largus *f*) in praefatione sua ad Caj. Jul. Callistum: "Conditorem medicae professionis" eum appellat, quum ad ejus usque tempora nulla medicinae esset ars et doctrina, et omnes cognitiones medicae dispersae et dissipatae jacerent, falsis verisque mixtae. Observandum vero est in judicio de Hippocrate ferendo, ne ultra modum aestumemus hunc virum omnesque veterum medicos, cujus rei exemplum nobis est Heurnius *g*), quem multi nostri temporis medici in nimia veterum laudatione secuti sunt. Quamquam naturae minister atque interpres optumus et ab hoc maxume laudandus, Pindari *h*) verbum ut praeceptum artis secutus: "χρὴ δ' ἐν εὐθείαις στείχοντα μάρνασθαι φυᾷ" summum nobis exemplum est Hippocrates in tractanda medicina; tamen post ejus tempora multa nobis magis perspicua facta et in clario-

---

e) Ibid. praefat. libr. VII.

f) Scribon Largi compositiones medicae. Joann. Rhodius recensuit etc. Patav. 1655. 4. pag. 2.

g) J. Heurnii Ultraject. institut. medic. Lugd. Batav. 1638. 12. "quod tanta ejus sollertia et sapientia fuerit ut nemo post eum sciverit quod ipse ignorarit." (Dissert. de stud. medic.)

h) Pindari carmina et fragmenta. graec. c. scholiis C. D. Beck. Lipsiae. 1792. 8. Tom. secund. prim. carm. Nem. vers. 37. et 38.

nem lucem posita sunt, quae eum adhuc fugere, nec a nobis negari potest, scientiam omni tempore progredi propiusque accedere fini, quamvis nemo mortalium eum unquam attingat *i*).

§. 4.

Ex medicina empirica tum demum doctrina et ars fieri potuit, quum satis magna adesset observationum copia, ex quibus vera hauriri potuit theoria; morbosumque organismi statum contemplantes meditati sunt medici de sana ejus natura certasque de ea constituere regulas, quas ad firmandas stabiliendasque omnibus temporibus summam impendebant operam *k*). Hac in re nitebantur instituta eorum physiologica medica et sola erat sanandorum corporum ratio, quae naturae scrutatorum et φυσιολόγων vocabat studia. In cognoscendis tantummodo recteque dijudicandis corporis sani functionibus status organismi aegri dijudicatio versatur; et si physiologia omnibus numeris absoluta nobis esset, felicior saepissime eventus nos sequeretur in curandis hominum morbis, quorum causae talibus in corporis humani partibus sunt, quarum structurae atque

---

i) Ger. van Swieten: Commentar. in Herm. Boerhaave aphorismos. Lugd. Batav. 1766. 4. Tom. I. proleg. §. 3. "Sed certe magnus Hippocrates, si novisset recentiorum inventa, *major fuisset.*" — Hoc edictum celeberr. van Swieten prius extitit, quam Jennerus praeclarissimum illud remedium contra terribilem illum morbum, qui per tot annos omnibus artibus resistens, totum terrarum orbem populabatur, inventum protulisset.

k) De conjugio experientiae cum ratione, quae absque magno scientiae detrimento separari nunquam possunt, haec habet praeclarissima Joannes Antonides van der Linden in manuductione ad medicinam Lovanii secundum edita a viro Vopisco fortunato Plempio typis caenestenii. 1639. h: "Ita utramque per se indigentem alteram alterius auxilio vigere, discebant; experientiam nimirum, formicae more, congerere tantum et uti: rationem vero, araneorum instar, telus ex se conficere: conjugii, ut apis, rationem medicam esse, quae materiam ex floribus horti et agri elicit; sed tamen eam propria facultate vertit et digerit. pag. 76.

usus cognitio nos omnino fugit *l*). Quanto pretio artis medicae initiis usus solus habitus sit, ex eo elucet, quod ex saeculi superioris medio demum physiologiam nomine suo dignam per celeberr. Hallerum accepimus et summo cum jure meditatio et cogitatio his praecipue temporibus vigere incepit *m*).

§. 5.

E quibus rebus apparet, medicinam, quam ab initio a veteribus excultam videmus, in hominibus tantum sanandis versari in eoque omnem suam posuisse operam. Postquam vero ars et doctrina facta regulis quibusdam et certis artis praeceptis instructa est, tres praecipue partes ejus erant: una, quae conveniente vivendi ratione omnibus prospiciebat, qua in re excelluit praecipue Pythagoras *n*) discipulosque suos docuit certas vitae regulas; altera erat pars, quae sanabat manibus vel instrumentis, chirurgia: tertia, quae utebatur remediis internis, therapia, quae interna dicitur *o*). His rebus succurrebant hominibus aegrotantibus vel vitam

---

l) Quamquam physiologia et pathologia mutua inter se jactent crimina, quum altera alterius excuset inscitiam. Conf. Rudolphi *Grundrifs der Physiologie.* Band I. Berlin 1821. 8. §. 13. pag. 6 et 7.

m) Georg. Baglivi opera omn. editio accuratiss. Lugd. Batav. 1745. 4. lib. I. cap. II. §. 1. "Necessitas medicinam invenit, experientia perfecit. Quae quidem prima aetate rudis erat ac stupida: progressu vero temporis, accedentibus indies novis observationibus sibique mutuo facem quasi praeferentibus cuncta praesertim regente ac moderante rationis lumine, liberalis facta et erudita."

n) Dan. le Clerc: Histoire de la medecine. Amsterd. 1723. 4. prem. part. liv. II, Th. IV. p. 91. "Il faut, disoit-il, pour se bien porter s'accoûtumer à la nourriture la plus simple, et qu'on peut trouver par tout."

Jamblichi chalcidensis de vita pythagorica. graece et lat. notis perpet. illustr. a L. Kustero. Amstelod. 1707. 4. cap. 34. p. 89.

o) Celsus l. l. lib. I. praef. pag. 3. "Iisdem temporibus in tres partes medicina diducta est: ut una esset, quae victu: altera, quae medicamentis: tertia, quae manu mederetur. Primam διαιτητικὴν, secundam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν Graeci nominaverunt."

conservabant: et quamquam Hippocratis temporibus quam maxume valuit pars diaetetica, quamquam in ea summum ejus principium erat, naturam optime sanare morbos *p*), tamen et caeterae maxumi erant momenti, imprimis vero chirurgia, in qua tantum excelluit Hippocrates, ut summo cum jure omnibus ejus temporibus hujus artis peritis sit anteponendus *q*).

§. 6.

Tribus his medicinae partibus usi sunt medici ad sanandos hominum morbos conservandamque vitam sanam, quamquam veteres magis diaetetica curabant sanos quam aegrotantes, ea adhibenda morbis obstantes. Chirurgiam artem definiebant, quae externos, ut ajunt, morbos sanat eamque omnino separavere a therapia, tamquam doctrina aliis nitente rationibus. Nostris vero temporibus nemo esse deberet, qui putaret, tantum esse discrimen inter utramque doctrinam, ut summo cum jure sejungantur: distinctissima enim morborum divisio in externos et internos nihili est; "morbus enim ille status corporis humani viventis, quo fit, ut actiones, homini propriae, non possint apposite ad leges sanitatis exerceri." Quodsi restitui possit legitimus ille naturae status remediis intus adhibitis, absque auxilio mechanico, medicorum rem esse, at si opus sit instrumentis vel manibus applicandis, chirurgorum provinciam esse, aegrotantibus ferre auxilium! Haec erat veterum medicorum opinio

---

p) Le Clerc l. l. part. I. liv. III. Th. XV. "De Remedes, qu' Hippocrate mettoit en usage et premierement de la Diéte ou du regime de vivre" pag. 190: "La diéte étoit le premier, le principal, et souvent le seul remede qu' Hippocrate employoit pour remplir la plûpart des vues qu'on a touchées."

q) Herm. Conringii Introduct. in univers. artem medicam. Helmst. 1687. 4. cap. XII. de chirurgia ejusdemque scriptoribus. thes. II. pag. 396. "Ex veteribus autem primo loco nominanda sunt Hippocratica scripta, quae sectione sexta operum editionum Foesianae continentur, quae omnia utpote Hippocrate maxime digna, commentariis Galenus explicavit."

et proh dolor! hodiernis adhuc diebus multi sunt addicti perniciosae huic sententiae: omnem artem therapeuticam eripere student chirurgis, quamquam ipsi illorum auxilio omnino carere non possint. Sed facillime haec potest componi lis, si paululum accuratius perspiciamus rem et ex historia artis medicae promamus exempla. Nam non est hodie chirurgia eadem, quae olim fuit, ne ea quidem, quae saeculo fuit proximo: erepta est manibus rudissimis virorum, qui eam tantum considerabant tamquam manuum opificium, et cum artis humanitatisque ignominia exercebant doctrinam, qua magis nocuere hominibus, quam auxilio fuere: et licet ad summum perfectionis fastigium nondum ascenderit, praeclarissima tamen nobis sunt exempla, quae demonstrant, quid possit studium indefessum et summus studiorum amor! Res autem est difficillima, fines constituere certos inter chirurgiam et therapiam, quum organismus semper idem iisdem obediens legibus nullo modo in singulas partitus sit partes, ita, ut singulis aegrotantibus, caetera sileant systemata, suisque functionibus eadem, qua in statu corporis sano, ratione fungantur: firmissima est inter singula conjunctio, et exteriores et interiores arctissimo inter se cohaerent nexu ac vi. Affectus organismi interioris comitantur causas nocentes externas laesionesque inde natas: affectibus internis tunc medendum remediis ex therapia sumtis: et quot morbis certo quodam corporis loco affixis, qui ad chirurgiae forum referendi sunt, succurrimus remediis tantum absque omni manuum auxilio *r*)! Nunquam separanda therapia a chirurgia, chirurgus in utraque quam maxume excellat *s*), quamquam medicus chirurgia

---

r) Exemplo sunt tumores cystici, ex constitutione arthritica orti, quos nemo unquam chirurgorum extirpabit, sed arthritidis curam ad eos tollendos adhibebit, et quae al.

s) Kaltschmidt Progr. de chirurgia medicis vindicata et necessitate reliquarum medicinae partium ad chirurgum perfectum. Jen. 1749.

C. J. M. Langenbeck: *Ueber einige wichtige Erfordernisse zur Bildung eines Wundarztes. Eine Einladungsschrift zu seinen Vorles.* Göttingen 1803. 8. pag. 41.

sic dicta operatoria carere potest. Tristissimo hodie exemplo fieret, cum omnes medicinae partes tanta floreant praestantia, si veterum instar chirurgum arcesseret medicus tamquam indicatum ex officina, et propius ita recederemus ad tempora illa obscura, quo tales erant chirurgi, ut non inepte Joannes van Horne *t*) de iis dixerit: "exhibere tamen ministeria servile magis est, ob quam fortasse rationem fit, quod chirurgi hodie inferioris censeantur ordinis, quos necesse est, cum plerique eorum insuper barbitonsores sint, sua sorte contentos sic vivere, et medico imperanti obedire, quandoquidem consuetudo vim legis obtinet." Malam mehercle consuetudinem *u*)!

§. 7.

Loculi sumus hactenus de tribus medicinae partibus, quae viguere apud veteres; quas easdem adhuc in adhibenda arte medica valere, nemo facile negaverit. Si e veterum sententia artem obstetriciam, sive, ut definiere eam, artem, qua mulier praegnans ab infante liberetur, his partibus attribuere velimus, necessario chirurgiae esset pars, quae ipsorum erat sententia; nam docet nos historia, veteres medicos ad liberandam mulierem ab infante usos esse praecipue instrumentis in parturientibus a naturae auxilio destitutis. De statu partus physiologico pauca iis nota fuere, quare in scriptis chirurgorum veterum artem quoque obstetriciam tractatam invenimus secundum regulas chirurgiae ferramentariae. Per longum temporis spatium mansit haec opinio in medicina *v*), quin nostris adhuc

---

t) Joh. van Horne: Microtechne cum annot. J. G. Pauli. Lips. 1707. 8. p. 321 seqq.

u) Conferas adhuc de nexu chirurgiae et medicinae:

Stahl Dissert. de medicinae et chirurgiae perpetuo nexu. Regiom. 1705.

Burchard Diss. de chirurgiae notitia medico necessaria. Rostoch. 1727.

Heister Diss. de chirurgia cum medicina necessario conjungenda. Helmst. 1732.

Boehmer Diss. de necessaria therapiae internae cum externa conjunctione. Halae 1763.

v) Les oeuvres *d'Ambroise Paré.* Onz. edit. à Lyon 1652. fol. prefac. p. 3. "Mais la chirurgie ne s'exerce point sur le corps humain sans extrême necessité de son in-

temporibus multi sunt, qui eam pro chirurgiae parte habeant. Artem vero obstetriciam chirurgiae nullo modo conjunctam esse, ex eo jam patet, quod in curandis parturientibus non solum opus est arte chirurgica vel mechanica, sed etiam arte therapeutica: utrumque vero auxilium et chirurgicum et therapeuticum saepissime conjungendum esse, res est satis nota, idemque valet quod §. 6. de chirurgiae nexu cum medicina diximus. Sunt auctores, qui tali modo artem obstetriciam medicam, ut vocant, et in scriptis et in usu a manuaria sejungunt *w*). Nam partem ejus medicam cum therapia quidem progredi necesse est, valentque in ea eaedem regulae *x*): nihilominus multa reperimus in parturientibus, quae nos cogunt, ad statum praesentem regulas therapiae referre et immutare: et tali modo ex ipsius partus doctrina discimus remedia, quibus uti necesse est, quod therapia nos docere omnino nequit.

§. 8.

Hanc autem artis obstetriciae cum chirurgia conjunctionem et generi humano et scientiae noxiam esse, novissimis temporibus omnes, qui cunctis medicinae studiis se imbuere, sunt experti: et causa tantorum, quos ultimis decenniis ars nostra fecit, progressuum, certissime in eo quaerenda, quod omnino valedixit chirurgiae. Vix invenimus in libris, qui docent artem obstetriciam, communi de hoc vinculo sermonem: quin summis viribus omnes obnituntur huic conjunctioni et quam maxume separatas

---

dustrie et urgence du mal important, qui requiert son aide, et mesme ne peut être guary de nature: comme remettre une fracture, ou luxation, trépaner, *secourir une femme à un enfantement laborieux*, ou pour une precipitation de matrice etc.

w) J. Ph. Vogler: *Ueber medicinische Geburtshülfe. Im Museum der Heilkunde.* 2r Band. Zürich 1794. §. 232.

Desselb. *Erfahrungen über Geburt und Geburtshülfe.* Bamberg 1797. 8. §. 7-9.

x) Ad. El. von Siebold: *Lehrbuch der theoretischen Entbindungskunde* etc. 4. Aufl. Erster Band. Nüruberg. 1824. 8. §. 3.

volunt has artes *y*). Multos vero esse, qui dubitent de hac re, pergantque tamquam conjunctam tractare utramque artem, jam §. 1. notavimus: quales opiniones praejudicatas noxiasque delere et falsas eas ostendere, cujusvis est officium, qui sua ad perficiendam scientiam eamque in meliorem producendam lucem conferre studet.

§. 9.

Duae nobis rationes adsunt, proposito nostro satisfaciendi, quae per totam fere valent medicinam; alteram enim observatio nobis monstrat viam, ratio alteram. Ut vero progrediamur in ea, quam nobis ostendit observatio, uberrimus historiae campus visendus a nobis est, cognoscendi causa, quomodo veteribus temporibus conjuncta fuerit ars obstetricia cum chirurgia, quibus sub conditionibus, quibus auxiliis hoc fieri poterit, quibus viribus paulatim huic gravissimo effugere studuerit vinculo, et quanto splendore victrix tandem hac ex pugna exierit. Clariora nobis fient multa, quibus in altera uti possimus via, per quam ratio nos comitatur, regulasque, quas discimus in prima via progredientes, adhibere possumus in altera, quibus ad finem nostrum sumus perventuri *z*).

---

y) Dr. Graf: *Ueber die bisherigen Darstellungen der Geburtshülfe nebst einem Anhange über das Verhältniſs derselben zur Medicin und Chirurgie. in* El. von Siebold's Lucina. II. Bd. 2 St. Seit. 16. Leipzig 1805.

Dr. J. Mendel: *Ueber das Verhältniſs der Geburtshülfe zur Medicin. in* Gumbrecht's u. Wigand's *Hamb. Magaz. für Geburtsh.* 2 St. S. 143. Hamburg. 1808.

Dr. Wilh. Aug. Georgii: *Zwey Vorträge über den Begriff von Chirurgie und Geburtshülfe und die Bedingnisse ihrer Ausübung.* Tübing. 1817. 4.

J. Fr. v. Froriep: *Handbuch der Geburtshülfe.* 7. Ausg. Weimar 1822. §. 4.

El. von Siebold: *Ueber den Gebärmutterkrebs, dessen Entstehung und Verhütung.* Berlin. 1824. 8. Seit. 54.

z) Auctores, qui artis obstetriciae historiam explicuere, *Isocratis* effatum in oratione adversus sui temporis sophistas (Isocr. quae extant op. om. ed. W. Lange. Hal. Sax. 1803. 8. p. 507.) "non facere solum artes magnas, qui nova in iis inveniant: sed illos quoque, qui quidquid in unaquaque vere insit, vel curiosum vel historicum vel novum repertum, exponant" sequentes, hi fere sunt:

§. 10.

Originem artis obstetriciae quaerentes ad antiquissima tempora accedere necesse est et in primo partu subsistere cogimur. Primam nostram matrem parturientem auxilium habuisse, non verisimile est, quum omni careret experientia is, qui solus ei ferre potuisset, quamquam Platnerus Adamum principem nominat omnium medicorum obstetriciorum *a*). Artem vero obstetriciam vetustissimam esse, majoremque hac re habere auctoritatem, quam chirurgiam therapiamque, si de harum doctrinarum antiquitate certemus, nemo infitiabitur, quum res ab ea tractanda, quae est mulier, prius esset, quam vulnerati aegrotantesque, qui serius auxilium suorum implorabant. Therapiam diu post chirurgiam extitisse *b*) facile

---

Joh. Frid. Knolle: Epistola de artis obstetriciae historia. Argent. 1773. 4.

Alphonse le Roy: La pratique des Accouchemens, contenant l'histoire de la doctrine et de la pratique des principaux accoucheurs, qui ont paru depuis Hippocrate jusqu'à nos jours etc. à Paris. 1776. 8.

Le Sue: Essais historiques littéraires et critiques sur l'art des accouchemens. à Paris. 1779. 2. Volum. 8.

Jos. Weydlich: *Lehre der Geburtshülfe zur Anwendung nach ächten Grundsätzen und der Erfahrung gemäſs bearbeitet* etc. 1. Theil. Wien. 1777. 8.

Fr. B. Osiander: *Lehrbuch der Entbindungsk.* Erst. Theil. *literärisch. und pragmat. Gesch. dieser Kunst.* Gött. 1799. 8.

W. Smellie: a treatise on the theory and practice of Midwifery. Lond. 1779. (Vid. Introduct. I. Vol.)

J. F. Schweighäuser Tablottes chronologiques de l'histoire puerpér. Straſsb. 1806. 8.

Van der Eem praes. Sandiford. D. De artis obstetriciae hodiernorum prae veterum praestantia, ratione partus naturalis. Lugd. Bat. 1783. 8.

Van Leeuwen praes. Sandiford. D. De artis obstetriciae hod. ration. partus difficilis et praeternaturalis. L. Bat. 1783.

Froriep l. l. §. 17.

a) F. Z. Platner de arte obstetricia veterum progr. Lips. 1735. 4. "Primae parienti nemo opem ferre potuit praeter Adamum, qui princeps τῶν μαιευόντων καὶ τῶν ὀμφαλοτόμων fuisse videtur."

b) De chirurgiae et therapiae aetate vide: K. Sprengel: *Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneykunde.* I. Th. Hall. 1792. 8. §. 8 et 9. S. 23.

ex eo dijudicari potest, quod morbi sic dicti chirurgici prius vexabant genus humanum, quam interni; lapsus, ictus, fracturae, vulnera, luxationes etc. causae erant, quibus omnes semper erant obnoxii, injuriisque ferarum sylvestrem degentes vitam quam maxume erant expositi *c*). Itaque partes corporis exteriores saepius cum laederentur, remedia externa facilius ab iis inveniebantur, quae eos docuit ipsorum prudentia ac mens: sanguinem e vulneribus profluentem inhibere studebant *d*), quod absque omni dubio principium erat chirurgiae, quum eos non fugeret, quantum momentum ad vitam conservandam esset in sanguine: quippe: "Una eademque via sanguisque animusque feruntur." Quare chirurgiae prius invenimus vestigia, cujus praecepta, ita ut homines paulatim exculti sunt, ad artis formam sensim pervenerunt *e*).

§. 11.

Artem vero obstetriciam vetustiorem esse ipsa Chirurgia, jam supra diximus, et argumenta hujus rei nobis affert antiquissimus liber, sacra

---

Baselli de Medicis Apologia, qua pro chirurgiae nobilitate strenue pugnatur. l. III. Bergam. 1600. 4.

Platner program. de Chirurgia, artis medicae parente.

Vater Pr. de chirurgiae antiquitate et dignitate. Viteb. 1728.

Luc. A. Seneca epist. XCV. "Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paulatim; deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Nec est mirum, tunc illam minus habuisse negotii, firmis adhuc corporibus et facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto."

c) Lucretius Carus de rerum natura. lib. V. vs. 980.

d) M. R. Quintilianus instit. orat. "Illud admonere satis, omnia, quae ars consummarit, a natura initia duxisse: ut tollatur medicina, quae ex observatione salubrium atque his contrariorum reperta est atque ut quibusdam placet, tota constat experimentis: namque et vulnus deligavit aliquis, antequam haec ars esset etc. l. II. cap. 17.

e) Van Swieten l. l. Tom. I. pag. 217. "Illa medicinae pars quae de externis morbis agit, omnium vetustissima est." Sed nullo modo ob hanc rem chirurgiam majoris aestumemus therapia, invicem amplectitur se utraque doctrina, altera alterius auxilio haud carens. Conf. §. 6. supr.

scriptura *f*). Quin infanti recens nato succurrere artis obstetriciae quam maxumum est officium, et haec cura confestim exercita est, quandoquidem resectio infantis a placenta gravissimum ejus vitae esset momentum: nam sine gravi haemorhagiae periculo absque ligatura relinqui non potest *g*). Nihil valet contra nostrum effatum, esse artem obstetriciam chirurgia vetustiorem, quod natura in principio multa perfecerit in parturientibus: nam ipsa chirurgia simplicissima erat atque rudis: multaque erant discenda ab hominibus, priusquam in meliorem eam potuerint redigere formam. Longe aliam habet originem quam chirurgia; in natura ipsa ejus principium quaerendum, quare omnium temporum physiologi de partu egere in scriptis suis atque de iis, quae in ea accidere solent: chirurgia morboso nititur statu, quod solum magni habendum est momenti in comparanda utraque arte.

§. 12.

Apud Aegyptios, quorum civitas longe vetustissima, sacerdotes omnes tenebant artes atque scientias, et ab iis obstetrices discebant rationes, parturientibus succurrendi, earumque dolores levandi *h*). Qui sacerdotes omnem se accepisse artem medicam a diis profitebantur, eamque tam occultam habebant, ut praeter ipsos nemo harum sententiarum notitiam acquireret, quum et propria uterentur lingua. Anglicus quidam scriptor antiquissimum

f) Genes. Cap. 35. v. 17.
— Cap. 38. v. 28 et seq.
Exodon Cap. 1. v. 15 et seq.
Samiel Cap. 4. v. 19 et 20.
Hesekiel Cap. 16. v. 4 et 5.
F. G. Gudius respond. Wendt de ebraica obstetricum origine quae exodi commemorantur. Lips. 1724. 4.

g) Le Sue l. l. Tom. I. §. II. p. 4. de l'omphalotomie ou section du cordon ombilical et de sa ligature.

h) F. G. Danz Prof. Giess. Progr. de arte obstetricia Aegyptiorum. Giess. 1791. 4.

apud Aegyptios medicinae statum refutat, argumentisque quam maxumis studet ostendere, nunquam fuisse Aegyptiis artem medicam *i*): tamen nil valet ejus dictum, aliusque omnino rejecit ejus argumenta *k*), omnisque historia et interpretatio hieroglyphorum a vero abhorrentem èsse probant ejus sententiam. Attamen medicina Aegyptiorum pauca nos docet, quamquam eorum historia, quod ad medicinam, quam maxumi sit momenti: imprimis divina artis nostrae origo multis nominibus praeclara est *l*): sed ipse ejus status apud sacerdotes, quorum dignitas haereditaria erat, testantibus Diodoro *m*) et Eusebio *n*), impediebat, quominus majores facerent in medicina progressus: nam filius artem a patre acceptam mutare non ausit, sed perseveraverit in veteribus sententiis. Argumento nobis sunt physiologica multa, v. c. augeri quolibet anno cordis pondus drachmis duabus usque ad annum quinquagesimum, tunc idem pondere per singulos annos imminui et inde mortem sequi *o*). Ita nervum quendam oriri ex

---

i) Shukford: Sacred and prophaned history of the world connected etc. London 1731. 8. Vol. II. pag. 359-367.

k) Warburton: *Göttliche Sendung Mosis aus den Grundsätzen der Deisten bewiesen.* Frankfurt. 1752. 8. Theil II. p. 63-99.

l) Jamblichus: de mysteriis Aegyptorum. Ed. Oxon. 1678. fol.
P. E. Jablonski Pantheon Aegyptiorum. Francof. ad V. 1750-52. partes III.

m) Diod. Siculi: Bibliotheca historica stud. et lab. L. Rhodomanni Cherusc. Hanoviae 1604. fol. lib. I. pag. 66.

n) Eusebius: de evangelica praeparatione a Georg. Trapezuntio e graeco in lat. traduct. Vincentiae. 1480. fol. l. II. cap. I. De Aegyptiorum theologia: "Qua propter etiam antistites qui a patribus secundum aegyptios successione sacerdotium accepere, hujus dei mysteriis nunciantur.

o) Censorini lib. de die natali cum perpet. comment. H. Lindenbrogii etc. ex rec. Havercamp. Lugd. Bat. 1743. 8. cap. VII. p. 89. "Praeterea fieri potest, quod refert Varro, quodque Dioscorides astrologus scripsit, Alexandriae inter eos, qui mortuos solent conservare, constare, hominem plus centum annis vivere non posse: id cor humanum declarare eorum, qui integri perierunt sine corporis tabe. Eo, quod id multis annis pendendo, omnis aetatis incrementa et diminutiones observent: et anniculi pendere duas drachmas, bini quatuor, et sic in annos singulos usque ad quin-

corde usque ad digitum minimum sinistrae manus, quem medicinalem vocabant *p*).

§. 13.

Transimus ad illum antiquitatis populum, qui praestantissimum omnium rerum assecutus est gradum, ubi quam maxume floruere artes atque scientiae, et apud quem prima nobis occurrunt vestigia artis obstetriciae per viros exercitae. Nostrum non est, quaerere, qualis fuerit ars medica ante Hippocratis tempora, neque explicare cognomina dearum, quae in auxilium vocabantur a parturientibus, v. c. *λοχεία*, *εἰλείθυια q*), *παιδοτρόφος r*): omnia haec demonstrant, quod jam supra diximus, a diis

---

quaginta accedere binas; ab iis centum drachmis ab anno quinquagesimo item decedere in unoquoque binas. Ex quo perspicuum sit, centesimo anno redire ad anni primi pondus, nec longius vitam posse produci."

De eodem confer. C. Plinii Sec; Naturalis Historiae lib. XXXVII. Interpret. et not. illustr. J. Harduinus. Parîs. 1685. 4. l. XI. Cap. XXXVII. sect. LXX. pag. 565.

p) Huc spectat, quod apud Aul. Gellium est in noctibus atticis c. not. J. F. Gronovii. Lugd. B. 1687. 8. lib. X. c. 10. annulum habuisse veteres in digito sinistrae manus, qui minimo sit proximus, ut tali modo a morbis se liberarent, in quo amuletorum quoddam genus agnoscimus.

Idem habet A. Theod. Macrobius: Opera cum not. integr. Pontani etc. quibus et suas adjunxit J. C. Zeune. Lips. 1774. lib. VII. cap. 13. pag. 676.

q) Q. Horatii Fl. opera ex rec. Bentleii. Amsterd. 1713. 4. in carm. saecul. vers. 13 et 14.:

Rite maturas aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres.

Preces sunt ad Dianam εἰλείθυιαν, quam Orphicus Hym. I. v. 13. breviter ita eloquitur:

δίδου δὲ γονάρ, ἐπαρωγὸς ἐοῦσα καὶ σῶζ'.

Conf. Orphica c. not. pl. recensuit H. Hermannus. Lips. 1805. 8. — Alia orphica hujus deae sunt epitheta: ὠδίνων ἐπαρωγέ, λυτήρια, λοχεία, ὠκυόχεια Conf. Homericos versus: Il. λ. v. 269 u. 270.:

Ὡς δ' ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα
Δριμὺ, τό, τε προϊεῖσι μογοστόκοι εἰλείθυιαι.

r) Pausanias recens. J. Fr. Facius Lips. 1794. 8. Tom. I. l. IV. c. 34. "θεῶν δέ ἐστιν ἐνταῦθα Ἀρτέμιδός τε καλουμένης παιδοτρόφου καὶ Διονύσου καὶ Ἀσκληπιοῦ ναός."

Conf. J. H. Schulzii historia medicinae a rerum initio ad annum urbis Romae DXXXV deducta. Lips. 1728. 4. pag. 75.

principium medicinam cepisse secundum hominum opinionem, quare artem divinam saepissime eam appellabant. Sed statum medicinae, Hippocrate vivente contemplemur, nam ante eum fabulis erat mixta ejus historia, dii heroesque extitere, ad quos omnia referebantur. Extra oleas nostras vagaremur, si de priore medicinae statu verba faceremus: nam de arte obstetricia nil notum ante Hippocratem, quum therapia et chirurgia magis florerent, ut demonstrant nobis tot exempla et nomina: Chiron *s*) in chirurgia excelluit: Heracles maxuma ad homines a malis liberandos perfecit opera *t*): Melampus *u*), Aesculapius *v*) et alii nominandi. Ab hoc Asclepiades originem habuere, quibus artis usus solus erat finis, absque omni rationis cura. Philosophi ejus temporis theoreticam medicinae partem sumebant, totamque artem medicam in suas trahere sententias studebant. Haec omnia conjunxit Hippocrates, paruit observationi, nec rationem ommisit, et tali modo factus est artis conditor, qui hodierno adhuc die optima floret.

§. 14.

Multa nobis occurrunt in Hippocratis scriptis *w*), quae nobis demonstrant artis obstetriciae statum apud Graecos, et omnino sejunctos

---

s) Xenophon: de venatione. Conf. Opera, quae extant in duos tomos divisa op. J. Leunclavii. Francof. 1594. fol. pag. 973 et 974.

t) C. F. H. Marx Origines contagii. Carolir. et Badae. 1827. 8. p. 50.

u) Herodoti Halicarn. Historiarum lib. IX. Not. adjecit Wesseling. Amstelod. 1763. fol. lib. IX. cap. 34.

v) Pindar l. l. Tom. II. pag. 291. tert. carm. Nem. Antistroph. 3.

— Βαθυμῆτα Χείρων
Τράφε λιθίνῳ τ' Ἰάσον' ἔνδον τέγει
Καὶ ἔπειτά γ' Ἀσκληπιὸν,
Τὸν φαρμάκων δίδαξεν
Μαλακόχειρα νομόν —

w) Scripta, quae ad artem pertinent obstetriciam in Hippocraticis, haec sunt: Hippocratis opera omnia in VIII Sect. Anut. Foesio authore. Francof. 1595. fol.

invenimus viros, qui medicinam, et qui chirurgiam et artem obstetriciam exercent. Chirurgi obstetrices adjuvabant manibus suis atque instrumentis, si negotio suo pares esse non possent, utrisque consilia dabant medici, remediisque intus adhibitis parturientibus ferebant auxilium. Artem vero obstetriciam praecipue mulieribus fuisse commissam, e Platone elucet, qui nobis multa narrat de officiis obstetricum Atheniensium et earum muneribus et conditione *x*). Quin ipsa Socratis mater hoc fungebatur

---

De natura pueri. — De septimestri et octimestri partu. — De superfoetatione. (In sect. editionis laud. III.) — De his quae ad virgines spectant. — De natura mulierum. — De mulierum morbis. — De his quae uterum non gerunt. (In sect. V.) — De foetus in utero mortui exsectione (In sect. VI.) — De morbis populariter grassantibus. lib. VII. (In sect. VII.)

Slevogt Prolusio de embryulcia Hippocratis. Jen. 1709. 4.

W. Smellie Treatise on the Theor. and Prax. of midwifery. Lond. 1766. 8. Introduct. pag. IV.

M. Dujardin: Histoire de la chirurgie. à Paris 1774. 4. pag. 159 et seq.

De Hippocratis vita ejusque sententiis confer.:

Kurt Sprengel *Apologie des Hippocrates.* 1. Th. Leipzig 1789. 2. Th. 1792. 8.

Suidae lexicon graece et lat. ed. L. Kusterus. Cantabrig. 1705. fol. Tom. II. Tit. Ἱπποκράτης.

Stephanus de urbibus et populis, quem prim. Thom. de Pinedo Lusit. latii jure donabat etc. Amstelod. 1678. fol. Tit. Κῶς. p. 408.

Tzetzes Variar. historiar. chil. VII. hist. 155. p. 138. edit. Gerbel. fol. Basil. 1546.

x) In Theaeteto multa narrat Socrates de obstetricibus laudibusque eas cumulat, quibus et hodie nonnullae interdum obstetrices dignae sunt, quamquam non eo quo tunc, faciant hodie sensu: Conf. Platonis op. omn. Marsilio Ficino interprete. Francof. 1602. fol. pag. 110 et 111. "Numquid et hoc de illis (obstetricibus) audisti, quod tamquam pronubae in conficiendis conjugiis aptissimae sunt? Quippe quae optime callent, quam cui jugare ad generosae prolis procreationem oporteat etc.

De obstetricibus veterum Terentius in Andria Act. I. Sc. 10. praeclarissime loquitur, ex quo elucet, easdem fuisse omni tempore:

Audivi, Archilis, jamdudum: Lesbiam adduci jubes.
Sane pol illa temulentast mulier et temeraria,
Nec satis digna, cui committis primo partu mulierem:
Tamen eam adduci? Importunitatem spectate aniculae:
Quia compotrix ejus est etc. etc.

negotio, et a medicis edocta artem suam exercebat curabatque mulieres aegras.

§. 15.

Artem obstetriciam tempore Hippocratis in manibus fuisse mulierum, apparet ex illius scriptis: sed nullo modo fuit subdita chirurgiae, quum et haec ad medicinam sive artem, morbos remediis internis sanandi, pertineret. Medici jussa dabant chirurgis et obstetricibus, omnia regebant et secundum placita sua utebantur manibus chirurgorum, quas et in parturientibus adhibebant, si obstetrices solae auxilium iis praestare non possent. Chirurgia erat tunc temporis ars, quae manu curabat, quid mirum, et operationes obstetricias perfectas esse a viris, qui chirurgiae munere fungebantur. Ceterum de operationibus magis artificiosis nondum sermo: forcipe caruere, versiones vix noverant et crudelissimis solum instrumentis perforationes consectionesque infantium perfecerunt, quae chirurgiae istius temporis rationi conveniebant. Exsectionem quoque e corpore matris mortuae huic loco adnumerari licet, cujus rei multa invenimus exempla y). Judicium vero de artis obstetriciae statu ferre, ab omni errore liberum, res est plane inutilis, quum et chirurgia et ars obstetricia in primis eo tempore rudimentis essent. Notatu dignum est, Dioclem Carysthium

---

y) Virgil. Aeneid. lib. X. v. 315.:

Inde Licham ferit, exsectum jam matre peremta

Et tibi, Phoebe, sacrum etc.

Plinius l. l. lib. VII. cap. IX. Sect. VII.

Aelian. Var. historiae c. vers. Vultej. curant. Gronov. L. B. 1731. l. V. cap. 18. De muliere praegnante, quae capitis damnata est.

Natal. Comitis Mythologiae libr. X. Genevae. 1641. 8. lib. IV. cap. XI. De Aesculapio.

Lex illa, quam Numa Pompilius tulisse fertur, huc nominanda est, quamquam Romanorum esset. "Mulierem, si praegnas mortua fuit, nisi exciso partu, ne humato. qui secus faxit, quasi spem animantis peremerit, ita esto." Conf. leg. reg. et decemvirales Just. Lipsii opera studioq. collect. in Dionys. Halic. opp. ed. Reiske Vol. IV. Lips. 1775. 8. pag. 2368.

Hippocratis assectatorem, legitimum nominasse partum septimestrem: nam ab hoc mensi incipere foetus vitam a matre sejuncti z). Legis quoque huc nominanda est promulgatio a), qua muliebribus denuo conceditur ars obstetricia, qua multa ob delicta privatae erant.

§. 16.

Apud Romanos Celsi scriptis tales continentur regulae, quae haud mediocrem artis obstetriciae statum apud eos fuisse probant. De prioribus temporibus loqui ex iisque argumenta carpere, per civitatis conditionem non licet, quum ars medica per longum temporis spatium omnino esset neglecta, cujus rei causa in bellica nationis indole quaerenda. Arma tantummodo apud eos valuere et politica, duosque invenimus ordines florentes: milites, qui et politicam tractabant, et agricolas: omnia, quae non ad haec pertinerent negotia, et servis erant commissa et alienigenis b). E Graecia praecipue immigrantes suscepere negotia, quae contemnebant Ro-

---

z) Censorinus l. l. cap. VII. pag. 32 seq.

a) Historia, quae narratur hunc in finem, Agnodicem quandam nihilominus virilibus amictam vestibus didicisse apud Herophilum artem obstetriciam, eamque postea clam exercuisse, qua de causa lex ista abrogata, a multis in dubium vocatur. Conf. Sprengel *pragmat. Gesch.* I. Theil. 3. Edit. Hall. 1821. p. 576. — Le Sue l. l. I. Tom. pag. 34 seq.

Mythograph. lat. minor. ed. Th. Munker. Amstelod. 1681. 8. fol. CCLXXIV. "Quis quid invenerit." p. 328.

Gölike de sapientissima lege Atheniensium, qua solenniter sanciverant, ne qua femina vel servus medicinam disceret. Hal. 1713.

Boerner *Untersuchung ob es dem Frauenzimmer erlaubt sei, die Arzneykunst auszuüben.* Leipz. 1758.

b) Dionys. Halicarnass. op. om. edit. Sylburg. Lips. 1691. fol. lib. II. pag. 98. "Quippe qui (Numa Pomp.) sellularias quidem ac sordidas et turpium cupiditatum incicatrices artes, ut corporibus atque animis tractantium noxias ac pestiferas servis atque exteris exercendas tradidit; longo tempore pudori fuerunt Romanis opera talia, ita ut nemo ex indigenis animum ad ea applicaret. Duo tantum ingenuis reliquit studia, rei militaris et rusticae."

mani, et inter hos initio miserrimi fuerunt, qui in patria nil valentes alio loco fortunam quaerebant. Inter hos et illi erant, qui medicos seipsos vocantes arte sua aegris succurrere studerent *c*). Ipsa quidem arte medica caruere Romani, florente civitate, sed non medicamentis, ut testatur Plinius *d*): quare ex primis eorum temporibus omnibus de eorum medicinae statu argumentis et monumentis destituti sumus. Ex Celsi demum libris licet judicium ferre de arte medica apud Romanos, et multa in iis habemus notatu digniora, quae ad artem pertinent obstetriciam, v. c. versionem docet in pedes, quae nondum Graecis erat nota, qui tantummodo versioni in caput erant addicti *e*). Ceterum apud Romanos obstetrices invenimus, partim ingenuas partim servas, quibus et mulieres aegrae curae erant, et quae gravioribus in casibus medicos in auxilium vocabant *f*), ut accelerarent partum tardantem, infantem verterent,

---

c) Barnab. Brissonii de verborum quae ad jus pertinent significatione. lib. XIX. Lips. 1721. fol. pag. 612.

d) Plinius l. l. libr. XXIX. cap. I. sect. V.: "Millia gentium sine medicis degunt, nec tamen sine medicina, sicut Populus Romanus ultra sexcentesimum annum."

Drelincurtii Apologia medica, qua depellitur illa calumnia, medicos sexcentis annis Roma exulasse. L. Bat. 1672. 12.

e) Celsus l. l. lib. VII. cap. 29. "Sed in pedes conversus infans non difficulter extrahitur." Toto hoc capite continentur regulae ad artem obstetriciam spectantes. sed et hic de uncis aliisque instrumentis loquitur Celsus, quibus extrahatur infans mortuus; at de signis mortis nil dicit.

De difficultate partus, praecedentibus pedibus, conf. Plin. l. l. lib. VII. cap. VIII. sect. VI. "In pedes procedere nascentem, contra naturam est, quo argumento eos appellavere Agrippas, ut aegre partos, qualiter Agrippam ferunt genitum, unico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis.

De hac appellatione Agripp. confer. Aul. Gellium l. l. lib. XVI. cap. 16.

f) Laudatum locum ex Suetonio, quem invenio in le Sue l. l. Tom. I. pag. 70. Antonium Musam medicum in consilium vocatum esse pro partu Liviae accelerando, quod et Osiander citavit, *Geschichte* l. l. §. 92. totum fere versans Suetonium reperire non potui, quanquam ipsum locum latina lingua expressum laudat le Sue. Suetonius hac de re nil dicit, quanquam nominat Anton. Musam in vita Aug. cap. 59 et 81. — De praegnante Livia vid. cap. 62. et Vit. Tiber. cap. 4. at de illo medico ei consulenti nihil commemoratum. Fugit me omnino, unde le Sue et Osiander hunc locum ceperint.

ceteraque necessaria curarent. Quantum vero postea aestumarent Romani artem obstetriciam, et quantopere eam in meliorem redigere formam studuerint, argumento est primus liber artis obstetriciae a Moschione editus, qui Trajano regnante vixit *g*). Eodem tempore floruit Soranus, qui maxuma cum gloria docuit artem medicam et in arte obstetricia summopere excelluit *h*). Ante Soranum Philumenus quidam extitit, cujus methodus in tractando partu mediocre nobis ejus cognitionis argumentum praestat *i*), quamquam in secundinis educendis cautissimae et aptissimae ejus regulae

---

De Anton. Musa confer. adhuc: Plin. l. l. lib. XIX. cap. VIII. sect. XXXVIII et libr. XXIX. cap. I. sect. V. — Horatius eundem nominat in epistol. lib. I. ep. XV ad C. Numantium Valum.

De Romanor. puerper. conf. Th. Bartholini Antiquitatum veteris puerperii Synopsis. Hafniae. 1646. 12.

g) Moschionis περὶ τῶν γυναικείων παθῶν v. Moschionis de mulierum passionibus lib. ed. R. O. Dewez. Viennae. 1793. 8. M. 1. K. — Continetur quoque in: Gynaec. siv. de mulier. affectibus etc. cura J. Spach. Argent. 1597. fol. et in Gynaec. per Bauhinum edit.

h) Scripta ejus de genitalibus mulierum Turnebus publice edidit. Continentur: Oribasii Sardiani medic. longe excellentissimi oper. quae extant omn. trib. tom. digest. Joann. Bapt. Rasario interprete. Basileae. 1557. 8. Tom. II. lib. XXIV. cap. 31. Ex Sorano de vulva et pudendo muliebri.

De Sorano conf. Joh. Conr. Barchusen de medicinae origine et progressu dissertationes Traj. ad Rhen. 1723. 4. pag. 281.

In libro quodam, turpiculi quidem argumenti, "Joann. Meursii elegantiae latin. sermonis. L. Bat. 1774. 8." epistolas quasdam invenio Sorani ad Antonium et Cleopatram, quarum altera consilia medica Antonio data, ad sanandam Cleopatram nimis libidinosam et salacem, continet, altera descriptionem partium genitalium earumque functionem ad Cleopatram, quod forsitan argumento esse possit, eandem fuisse hanc reginam, quae scripserit capita quaedam de muliebribus affectibus, quae continentur gynaec. l. l. Confer. Osiander's *Geschichte*. l. l. pag. 63. — Eaedem epistolae continent. in libro quodam: *Kleine Plappereyen*. Leipz. 1773. 8. pag. 416.

i) Aetii med. graec. contract. ex veteribus medicin. tetrabibl. hoc est quaternio sive libri universales quatuor, singuli quatuor sermones complectentes, ut fuit in summa quatuor sermonum quaterniones, id est, sermones sedecim per Jan. Cornarium medic. phys. lat. conscript. L. B. 1549. fol. "De secundae eductione Philumeni." tetrab. IV. serm. quart. cap. 34. "De foetus educt. et exectione Philum." ibid. cap. 33.

laudandae sunt. Sequebantur Galenus, quantum nomen! Aetius, et paulo ante Romani regni interitum P. Aegineta, qui tanta diligentia coluit studium obstetricium, tantaque fortuna exercuit artem suam, ut summo cum jure a suis Alkawabeli i. e. medicus obstetricius nominaretur *k*). Hujus esset loci de Galeno verba facere, quem nominat Heinsius *l*) oratione sua octava: "Eruditionis latifundium, oceanum disciplinarum, omnium ingenuarum artium commune quasi receptaculum:" ejusque de medicina merita enarrare; sed historiam medicam scribere, non in animo est, satisque nota est ejus laus auctoritasque apud suos, cum omnes fere posteriores eum sint imitati, et ab aliis saepissime sit laudatus *m*). Dei instar eum venerabantur sui *n*), maxumisque antiquitatum philosophis comparabant *o*). Multa et ars obstetricia ei debet, quae in ejus operibus inveniuntur *p*). Aetius imitator fuit Galeni, et ex ejus scriptis, ex

---

k) Abulfarag. histor. dynast. IX. Ed. Pocock. Oxon. 1663. 4. pag. 181.

Basileae et Venet. ejus opera prodiere: P. Aeginetae de re medica libr. septem. graec. Venet. 1528. fol. apud A. Cratandr. Basil. 1538. fol. lib. III. cap. 76. "De difficultate partus, quam δυστοκίαν vocant."

l) D. Heinsii orationum edit. nov. Ed. Nicol. Heins. Amstelod. 1657. 12. Orat. VIII. pag. 98.

m) Al. Mundellae theatrum Galeni h. e. universae medicinae a Galeno diffusae sparsiusque traditae promptuarium. Basil. 1568. fol.

J. M. Eustachii de vita Galeni. Neap. 1577. 4.

E. de Villa las vidas de doze principes de la medicina. c. 7. Burgos. 1647. 8.

Oratio de vita Galeni in promotione Doctorum medicinae a Doctore Mylichio recitat. in Declamation. D. Ph. Melanthonis. Tom. II. Argent. 1570. 8. pag. 252.

Barchusen l. l. pag. 246.

n) Eusebius histor. eccles. ed. Vales. Mogunt. 1672. fol. lib. V. cap. 38. "Γάληνος γὰρ ἴσως ὑπό τινων καὶ προσκυνεῖται."

o) Alex. Aphrod. top. Venet. 1513. fol. lib. VIII. cap. 1. "Ὡρισμένως δ'ἔνδοξα, τὰ τῷδε τινὶ τῶν ἐνδόξων ἑπόμενα· οἷον Πλάτωνι ἢ Ἀριστοτέλει ἢ Γαλήνῳ.

p) Hippocratis Coi et Claudii Galeni Perg opera. Ren. Chartier ed. Lut. Paris. 1679. fol. XIII Tom. — Libri, quibus continentur ad artem obstetriciam pertinentia, sunt: De semine. (tom. III.) — De usu partium corpor. hum. lib. XIV et XV. (tom. IV.) — De formatione foetus (ibid.) — De uteri dissectione (ibid.) — De septimestri

Sorano et Oribasio aliisque sua contulit. *q*). Ejus tempore ars obstetricia a mulieribus imprimis exercebatur, cujus rei exemplum nobis est Palladius *r*).

§. 17.

Scientiae cum ad Arabes transirent, hi quoque artem obstetriciam omnibus, quibus possent, colebant viribus, si laudandum est, quod perfecerunt operationes quasdam rudissimas, novasque earum protulerunt praecepta. Ex eorum vero elucet scriptis, conjunxisse eos artem obstetriciam cum chirurgia, nam Haly Abbas *s*) v. c. multas demonſtrat operationes obstetricibus, easque chirurgicas nominat. Abulcasis *t*) quoque in opere suo "Altasriph" artem obstetriciam cum chirurgia conjunctam edocuit. Tristem vero ſuisse artis obstetriciae statum, ex eorumque doctrinis nullum fere hausisse usum, ex eo apparet, quod crudelissimis usi sunt instrumentis, quae ad perficienda rudioraque adhuc facienda omnem adhibebant curam. Obstetrices apud eos magnam habuisse auctoritatem, quin instrumentis usas fuisse, narrat Platnerus in chirurgiae historia: "prae aliis

---

partu. (tom. V.) — De mulierum affectibus. (tom. VII.) — De remediis facile parabilib. (tom. X.) —

J. B. Feliciani ed. lib. Gal. de uteri dissectione, de foetuum formatione, de semine, de septimestri partu. Basileae. 1538.

Ejusd. libr. de uteri dissectione etc. J. Cornario interprete. Basil. 1536. fol.

q) Aetius l. l. Capita ad art. obstetr. spectantia: 22, 23 et 24. tetrab. IV. serm. 4. Regulae diaetet. continent. cap. 14. "parientibus facienda" cap. 12: "cura praegnantibus adhibenda Aspasiae." et cap. 25: "cura post exectionem Aspas."

r) Palladius hist. lausiac. J. Meursius primus graece nunc vulgavit et notas adjecit. L. B. 1616. 4. p. 158.

s) Sine titulo typis expresso, sed inscripto: Regalis dispositionis theoricae Libri X., et practicae totidem libri. *Haly filii Abbas*, quos Stephanus, Philosophiae discipulus in Antiochia ex arabica in latinam linguam transtulit, anno 1126 et 27. sub fine. Impressum Venetiis die 25 Sept. 1492. Opera Bernardini Ricii de Novaria etc. fol.

t) Abulcasis de chirurgia. arab. et lat. cura Johann. Channing. Oxonii. 1778. 4. 2 Bde.

Arabibus in more fuisse videtur, medicos consilia dedisse, medicas vero manus admovisse obstetrices." Omnes vero Arabes Galenum secuti ejus doctrinam imitati sunt et scriptis et factis: sed saepissime eum non intelligentes longe alias ei inferebant sententias, eumque subinde omnino depravabant *u*). Argumento autem nobis sunt eorum scripta, parum incrementi cepisse artem obstetriciam ex tempore Celsi, neque per Arabes in altius evectam esse *v*).

§. 18.

Sequitur tristissimum illud temporis spatium, quo Italia expugnata per imperatores germanicos expulsi sunt Muhamedani e pristinis musarum sedibus, monachique susceperunt eorum partes, qui parum utilitatis medicinae praestarent. Curabant quidem aegros, sed remedia eorum tanta erant mixta superstitione, ut omnino abscederet ab iis vera medicinae ratio, cujus umbra adhuc remanens per edicta a pontificibus romanis edita delebatur, quibus sanciverant, ne quis monachorum artem exerceat medicam *w*). Ex-

---

u) Barchusen l. l. De Rhasis placitis. §. XII. pag. 295: "Antequam de Arabum placitis scribere occipiam, lectorem obiter moneam, necesse est, plerosque eorum et Judaeorum, qui de medicina scripserunt, doctrinam Galeni fuisse maxime amplexos, eundemque posteritati propagasse: non sinceram tamen atque integram hanc conservasse, sed pluribus argutiis inanibusque quaestionibus eam subinde cumulasse adeo, ut nihil supra."

v) Duos tantummodo hoc loco nominavimus Arabes, quin de aliis mentionem faceremus, nam inter se fere similes, quod ad regulas obstetricias, omnes consentiunt, unum tantummode secuti exemplum, ita Rhazes, Avicenna etc.

De latinarum versionum pretio confer.

Barchusen l. l. pag. 295.

Conring. introd. in art. med. l. l. pag. 126.

Osiander's *Geschichte.* l. l. §. 103.

w) Essai histor. sur la medecine en France. p. 72.

Storia della Letteratura italiana di Girolam. Tiraboschi. Tom. terz. In Modena. 1773. 4. pag. 313. XI.

J. S. Semler, Histor. eccles. sel. cap. Hal. 1769. 8. Tom. III. Sect. XIII. cap. II. pag. 261. "nullus clericus artem chirurgicam exerceat etc."

sectiones infantium e gravidis mortuis factae sunt, quae obstetricibus erant commissae, et multa nobis ex hoc tempore sunt exempla hominum, qui tali modo e matrum defunctarum corporibus sunt exsecti.

§. 19.

Priusquam pergamus in disquisitione nostra historica, liceat nobis, brevem eorum mentionem facere, quae nostro conveniant penso. Arctissime in praeclarissimis medicis conjunctas videmus tres nostras doctrinas: eodem modo amplexi sunt therapiam artemque obstetriciam, quanquam id non est argumento, eos exercuisse quoque has artes. Summam vero impenderunt operam, ut alios edocerent has artes, neque deerant singulis exercentibus, cum opus esset graviore consilio. Primo quidem initio propiorem invenimus artem obstetriciam chirurgiae, mechanicum nempe auxilium, quod mulieribus committi non poterat, viri suscepere, qui chirurgiae operam dabant, quod ex arabicis scriptis magnopere elucet. Sed non fuit tunc temporis accuratissima illa doctrinarum sejunctio, quae postea in medicina reperitur. Cuncta amplectebatur, qui dignus haberi volebat nomine docti in literis auctoris. Sed argumentum neutiquam adest, exercuisse cuncta illius temporis medicos, quae docuissent: una forsitan doctrina usi sunt, ut auxilium ferrent suis, de ceteris in libris suis tantummodo locuti sunt. Quare de conjunctione artis obstetriciae cum chirurgia arctissima nil certi statuere possumus, cum haec in ratione tantum et in usu esse potuerit. De isto scientiarum tristissimo statu post expugnatam Italiam sileamus: omnia erant perturbata, regnante sola superstitione et stultitia.

§. 20.

Quoniam vero omnium humanarum rerum maxuma est vicissitudo; alia collabuntur, alia altius evehuntur, nulla quies rebus mortalibus concessa. Ars obstetricia a felicissimo Graecorum statu ad miserrimam sub

monachorum manibus conditionem delapsa iterum ad medium sec. XIII. evasit e vilissima humilitate, quum scientias jacentes viri, novis viribus, summo studio maxumaque diligentia praediti sustentarent, easque novo collustrarent splendore. Instaurabantur literae, reditusque earum in vitam omnes summo afficere necesse est gaudio, qui maxumum earum pretium salutemque, qua fruuntur ex iis homines, intelligunt. Arabici quidem medici primo producebantur ad lucem *x*): exemplum eorum secuti sunt, qui nova scriberent praecepta; conjunctae denuo doctrinae docebantur, nec mirandum est, artem quoque obstetriciam propiorem fuisse chirurgiae, quoniam ita ejus temporis medici ex exemplis suis didicerant. Deerat autem opus, quo ars obstetricia sola ab aliis doctrinis disjuncta, continebatur, Moschionis adinstar, quod eo majorem habuisset utilitatem post typographicam artem inventam.

§. 21.

Quae literarum inopia, in temporis istius conditione quaerenda, quo dedecori habebatur, officium praestare mulieribus, solis mulieribus decorum *y*), nihilominus sentiebatur, et Catharina dux Brunsuicensis Luneburgensisque medicum incitavit germanum Eucharium Roeslin, qui

---

x) Magnum momentum habuisse videtur institutum illud Salernitanum, quo *Fridericus II.*, imperator Germaniae, examen pro gradu Doctoris constituerat. Inter alias res arabicus quoque medicus transferendus erat ab examinando. Conf. "Reliqua libror. Frid. II. imperat. de arte venandi cum avibus ed. J. G. Schneider. Lips. 1788. 4. In praefatione de vita Frid." — Franc. Milanens. aureae decision. reg. curiae regni Sicil. lib. III. tit. XLV. Venet. 1596. fol. — Optimam idem imperator legem promulgavit, ne quis accederet ad medicinae studium, qui non per tres annos logicae operam dedisset; et ut omnes quinque deinceps annos arti medicae impenderent, lege sanxit: institutum, quod hodiernis diebus desideramus, quum tot videmus arti medicae operam dare, qui eo usque neglexere humaniora, ut subinde turpiter se dent, ludibrio sint paulo doctioribus.

y) Le Bon therapia puerperarum in gynaeciis supra jam memorat. cap. II. "cum a parturiendi laboribus vexari coeperit, advocanda obstetrix prudens et in ea arte apprime edocta: *haec enim ars viros dedecet.*"

Wormatiae primo degebat, ut conscriberet instituta in usum obstetricum; qui huic jusso satisfecit, librum conferens e Galeno, Rhaze, Avicenna et aliis z). Sejunctam ergo denuo habemus hoc labore artem nostram, a ceteris doctrinis segregatam solamque per se in hoc libro et liberam. Roeslini opus saepissime recusum est; in alias quoque translatum linguas a), et ab omnibus medicis summa habitum est laude. Quod exemplum multi secuti similia edidere opera, de quibus nominandi sunt Pratis b), Reiff c) Ruef d) et alii. Eorum libri mediocris tantummodo sunt pretii, et nil novi in iis invenimus, quae non Roeslin antea dixisset, sed laudanda tamen voluntas, artem obstetriciam solam tractandi, sejunctam a ceteris doctrinis; et negari non potest, omni tempore fuisse medicos, qui bene intelligerent, dignum esse hanc artem, quae non consideraretur tamquam pars chirurgiae, sed propria doctrina, suis fulta principiis.

§. 22.

Multa contulit arti obstetriciae anatomia, iisdem temporibus novis inventis ornata, quam praecipue docuit Vesalius ille, quem summo cum

---

z) *Der schwangern Frawen und Hebammen Rosgarten.* Augsburg. 1502. 1528. 1532. 4. 1544. 1551. 1564. 8. Frankf. a. M. 1582. 1603. 8. — Consilia ejus praecipua fuerunt, eo videret obstetrix, ut infantis caput pars esset praevia; infantes mortuos uncis, cultris aliisque rudibus instrumentis extrahi voluit, quas regulas omnes eum sequentes observabant et scriptis et factis.

a) Ejus Versiones habemus latinas, gallicas, batavas, anglicas, nomenque Roeslin in graecum mutatum est Rhodion.

b) De pariente et partu liber obstetricibus, puerperis, nutricibusque utilissimus, in quo praeter historiarum amoenitatem eruditio est non vulgaris. Amsterd. 1657. 12.

c) *Frauen Rosengarten von vilfältigen sorgfaltigen Zufällen und Gebrechen der Mütter und Kinder etc. New ann Tag geben durch* Gwaltherum Reiff. Frankf. a. M. 1545. fol. m. K.

d) De conceptu et generatione et iis, quae circa haec potissimum considerantur, lib. VI. congesti opera Jac. Rueff, chir. Tigur. Tig. 1554. 4.

Lingua vernacula: "*Ein schoen lustig Trostbüchle von den empfengknüssen etc. durch* Jacob Ruff., *Burger u. Steinschneider der löbl. Stadt Zürich.* 1588. 4. m. Holzschn.

jure ejus restitutorem nominare possumus, qui libro suo praestantissimo *e*) multa edidit in usum artis obstetriciae figuris illustrata. Nova in arte nostra inventa solis debemus anatomorum operibus, qui maxumo cum studio et omni, quo par erat, amore corporum dissecandorum usum et rationem amplectebantur. Post Vesalium Realdus Columbus *f*), ejus discipulus et successor, excelluit in hac arte, nec indignum se praebuit tali praeceptore. Ex chirurgorum quorundam experimentis, infantium ex utero matrum vivarum exsecandorum, quod Mathias Cornax Professor et P. Dirlewang Viennensis fecere *g*), colligere non possumus, artem obstetriciam concedendam esse manibus chirurgorum, quum omni tempore exempla nobis sint, a chirurgis has operationes esse perfectas, quae nullo jure omnino ad artem pertinent obstetriciam.

§. 23.

Conrado Gesner Helveto quam maxumae erat curae, ut artem obstetriciam digno haberet loco, eamque in meliorem redigeret formam, quum omnia, quae apud Arabes Graecosque inveniret de arte obstetricia

---

e) Andreae Vesalii Bruxellensis, invictissimi Caroli V. Imperatoris medici, de humani corporis fabrica Libri septem. Basileae ap. Joann. Oporinum. 1555. fol. (optima haec est inter omnes editio.) Figurarum delineationes pictor celeberr. Titianus confecisse dicitur, earumque eximia pulchritudo et accuratissima naturae imitatio hanc opinionem confirmant. Conf. J. C. W. Möhsen *Verzeichnifs einer Sammlung von Bildnissen berühmter Aerzte.* pag. 80 seq.

f) Realdi Columbi Cremonensis in almo Gymnasio Romano Anatomici celeberrimi de re anatomica libr. XV. Venet. 1559. fol. lib. XI. cap. 16. "De utero sive de matrice." lib. XII. 'de formatione foetus ac de situ infantis in utero".

g) Foetus vivi ex matre sine alterius vitae periculo caesura, a Fr. Rousseto. med. gall. conscripta, Casp. Bauhino, Prof. med. Bas. lat. reddita. Basil. 1591. 8. — Ante quinquaginta annos jam Jac. Nufer., lanius ille, in sua uxore absque omni detrimento hysterotomociam fecit, quin ex anno 1491 jam facta est mentio sectionis caesareae in vivente summa cum fortuna factae. Vid. Nicolai de Falconiis observationes chirurgicae. Venet. 1491.

et de affectibus muliebribus, in unum colligeret, ederetque opus inscriptum: "Gynaecia" per discipulum suum et popularem C. Wolf *h*). Qua re occasionem dedit temporis sui medicis et chirurgis, ea cognoscendi, quae veteres recentioresque de arte nostra cogitarint: et novam inde fundavit artem, quam magis magisque eripere studuit manibus chirurgorum rudissimorum, quibus nullum cum scientiis commercium intimum esset, ex quo solum prodire potest vera suo nomine digna ars. Multos in hac re habuit imitatores; et talem per totam fere Europam amorem artis obstetriciae omniumque ad eam pertinentium rerum fuisse, inde patet, quod Bauhinus viginti jam post annos novam auctamque Gynaeciorum editionem Basileae in lucem proferret *i*), quam mox secuta est celeberrima illa editio Spachiana *k*).

§. 24.

Chirurgus Parisiensis, Franc. Rousset, plura congessit de hysterotomocia libro, quem anno 1581 publice edidit *l*). Quam operationem inprimis contra Ambr. Paraeum defendit, qui omnino eam rejecerat. Multos tenuit haec hysterotomocia chirurgos, multumque temporis huic rei disquirendae dedere, unde colligere possumus, nondum artem obstetriciam a chirurgia separari posse: nam chirurgiae eam regebant sententiae, talibusque in matribus facta est operatio, quae postea absque omni auxilio felicissime enixae sunt, et quibus optima et pelvis et genitalium erat structura *m*).

---

h) Gynaeciorum seu de mulierum, tum al. tum gravidar., parturient. et puerperarum affectibus. Basil. 1566. 4.

i) Gynaeciorum sive de mulierum affectibus commentarii Graecorum, Latinorum, Barbarorum etc. in tres tomos digesti et necessar. imagin. illustr. Casp. Bauhini opera Basil. 1586. 4.

k) Gynaecia s. de mulierum affectibus Graec. Arab. Latin. etc. et recent. quotquot extant cura Isr. Spachii Prof. med. *Argent.* 1597. fol.

l) Rousset hysterotomocia in Bauhini Gynaeciis l. l. II. tom. p. 501.

m) Mercurii la commare ò raccoglitrice. l. II. cap. 28. p. 169. "tam usitatum fuisse, inquit, in Gallia hysterotomociam, uti in Italia venaesectio in dolore capitis."

Nemini in mentem veniebant levia illa instrumenta in tempore magis ancipiti: nil noverant praeter uncos cultrosque, quare mansit ars nostra in chirurgorum manibus, quibus notus erat horum instrumentorum usus.

§. 25.

Sed aliud nobis praebetur argumentum, quo non sui juris fuisse artem obstetriciam, probetur, idque in temporis illius conditione quaerendum est. Mulieres exercebant artem nostram, quum falsa verecundia excluderet viros; et his nulli erat curae, quid de doctrina fieret; auxilium suum praestabant parturientibus, justaque sua sumebant. Quin ab ipso magistratu interdum vetitum, ne viri accederent ad parturientes, nisi summa urgeret necessitas: tale enim negotium viris esse dedecori; et chirurgi ex his rarioribus casibus magnum lucrum facere nullo modo potuere. Paulatim in Germania et Hispania gregum pastores in auxilium vocabantur a parturientibus *n*), et haec res perspicue nobis demonstrat, ipsas mulieres lubentius interdum sua committere hominibus absque omni eruditione, quam chirurgis, qui nil callerent, quam instrumentis crudelissimis uti *o*), quanquam detrimentum interdum quam maxumum ortum sit ex hoc abusu, quare leges promulgatae sunt in hos homines, qui chirurgos et obstetrices studerent demovere a parturientibus *p*). Attamen in Gallia Gervais de la Touche artem obstetriciam per viros exercendam suis commendavit propter imperitiam et stultitiam obstetricum, id quod novum argumentum est, eas omni tempore fuisse easdem *q*).

---

n) M. J. Paschal methodus curandi. Lugd. B. 1585. 8. pag. 59.

o) Valet de his chirurgis, quod Plinius l. l. lib. XXIX. Cap. I. Sect. VI. habet de Archagato: "Vulnerarium cum fuisse e re dictum, mireque gratum adventum ejus, mox a saevitia secandi urendique transisse nomen in carnificum et in taedium artem omnesque medicos."

p) Osiander's *Geschichte.* l. l. §. 152.

q) La très-haute très-souveraine science de l'art et industrie naturelle d'enfanter, contre la maudite et perverse imperitie des femmes, que l'on nomme sages-femmes etc. à Paris 1587. 8.

§. 26.

Chirurgos tantummodo meliores rei literariae de arte obstetricia operam dedisse, facillime colligere possumus, quum soli essent in ejus possessione, medici vero eam nihili facerent. Excelluit in ea C. J. Arantius r), Vesalii discipulus, professor anatomiae et chirurgiae Bononiensis, qui et artem exercuit obstetriciam s). Eadem cum laude Sev. Pinaeus t) et Jac. Guillemeau u) chirurgi nominandi sunt. Initio saeculi XVII. H. Fabricius ab Aquapendente, Professor anat. et chirurg. Patavinus, qui Fallopiam habuit praeceptorem eique successit, scriptis suis maxume locupletavit artem obstetriciam v). Rodericus a Castro optimum sui temporis librum (raro exemplo!) de physiologia, pathologia et therapia mulierum edidit w). Penitiori studio accuratiorique diligentia in-

---

r) J. C. Arantius de humano foetu liber. Venet. 1587 et 1595. 4.

s) In Italia primus fecit hysterotomociam eamque inter suos introduxit. Conf. Consilia et epist. medicinal. Joh. Cratonis a Kraftheim libri lab. et stud. L. Scholzii edit. lib. V. pag. 371. Hanov. 1619. 12.

t) Sev. Pinaei opusculum physiologicum, anatomicum φυσικῶς vere admirandum, librisque duobus distinctum etc. Paris. 1598. 8. Francof. 1599. 8.

Idem: De virginitatis notis, graviditate et partu. Lugd. Bat. 1639. 12.

u) J. Guillemeau de la grossesse et de l'accouchement des femmes, du gouvernement d'icelles et moyens de souvenir aux accidens, qui leur arrivent. à Paris 1598. 1fol. — Meliora, quam ejus tempore, in libro ejus sunt, quamquam ille instrumenta et halia nondum de manibus deposuerit. Maxume invehit in chirurgos, qui artem negligunt obstetric. l. l. pag. 258.

v) H. Fabric. ab Aquapendente: Opera omnia anatomica et physiologica c. praefat. B. S. Albini L. B. 1738. fol.

Ejusd.: De formato foetu lib. Venet. 1600. fol.

Anatomiam comparatam in studiis suis quam maxume consulebat, ex eaque praeclarissima in artem obstetriciam transferebat.

De format. ovorum et pulli tractatus accuratissimus. Patav. 1621. fol. c. fig.

w) Roderici de Castro Lusitani, Phil. et Med. doct. de universa mulierum medicina novo et antehac a nemine tentato ordine opus absolutissimum. Pars prima theor. Hamb. 1604. edit. auct. et emendat. 1607. 4. Pars sec. prax. Hamb. 1603. fol. ed. auct. et emend. 1607. 4.

vestigavit hanc rem, dignam eam existumans, cui solum impenderetur studium. Et nihilominus obstetrices chirurgosque, qui earum munere fungebantur, contemnit, dedecori sibi habens, exercere artem, cui tantum opere suo x) praestiterat. Alio contra animo G. Fabric. Hildanus artem obstetriciam tractavit, questus, coaevos suos tantopere eam negligere, et ipse bono exemplo multos narrat libro suo casus, quos usu suo chirurgico et obstetricio observasset. Ex istis, quae invenimus in Godofr. Welschii, professoris Lipsiensis praefatione y), concludere possumus, jam principio saeculi XVII. morem fuisse in Italia, medicos ad omnes fere acclamari partus, ut consilio et facto praesto essent. In Germania tantum veteri adhaerebant praejudicio, quo omnem hujus rei curam a viris amoveri volebant.

§. 27.

Sed auctores quoque femininas habemus ex illo tempore, ut ostendunt libri Ludovici Bourgeois z), quae observationes longo usu collectas conscripsit et edidit. Parisiis artem suam exercebat, quin ipsi Henrici IV. uxori Mariae de Medicis auxilium tulit parturienti. Jurgia per literas quoque exercuit cum medicis, qui ei obtrectare studebant de morte principis cujusdam in puerperio mortuae, defensionemque scripsit contra eorum ca-

---

x) G. Fabr. Hildani opera observationum et curationum medico-chirurgarum, quae extant omnia. Francof. 1646. fol.

De hoc Conringius in dedicatione ad Thom. Fieni libros chirurgicos. Francofurt. 1602. 4. haec habet: "Pauciores quidem Germania in aemulationem hujus laudis produxit hactenus, forte tamen licet unum Guilh. Fabricium Hildanum multis contra Italorum Gallorumque aestimare, sive industriam spectes, sive in excogitandis judicandisque remediis illis promtissimum ingenium."

Confer. adhuc Conringii introd. l. I. pag. 398.

y) La commare dell Scipione Mercuri. *Kindermutter oder Hebammenbuch aus dem ital. übersetzt von* G. Welsch. Wittenb. 1671. mit K.

z) Observations diverses sur la sterilité, perte de fruits etc. à Paris. 1609. 1626. 1642. 8. lib. II. à Paris. 1642. 8. lib. III. à Paris. 1644. 8.

lumnias *a*). At ubi tandem scientia ex scriptis mulierum magnam cepit utilitatem? Quomodo feminae libros proferre possunt, quibus prima rudimenta deficiunt, quae non a teneris studiis virilibus operam dedere? Quarum omnium factorum causa et origo est in vanitate lucroque; et maxuma certe causa, cur per tot saecula ars nostra jacuerit, haec est, quod feminis erat commissa, quas fervidum illud scientiarum studium vix quidem tenere potest, et qui longe recedant ab arte nostra subtiliore, cum rarissime respondeant postulatis ab homine erudito factis, et procul absint a studiis literariis librisque conscribendis *b*).

§. 28.

Talis erat status artis obstetriciae tempore, quo tot viri summo ingenio praediti de ejus parte anatomica et physiologica optime meruerunt, quibus accedere opera a celeb. Harvey *c*) edita, Nicolai Stenonis *d*),

---

a) Apologie contre le raport des medecins. Par. 1627.

Cujus memoriam non subit nostri temporis novissimum exemplum, simillimum huic. Sub sole nil novi!

b) Omnino quidem rejiciendas mulierum manus ab arte nostra, vix puto: lubentius se committit interdum sexus sequior sororibus, et multis levioribus casibus omni jure pares esse possunt. Sed ubi nimium adsit periculum, statim medicum acclament obstetricium, qui consilio et auxilio eos adjuvet.

Conf. J. P. Weidmann: de officio artis obstetriciae concedendo solis viris. Mogunt. 1804. 4.

Ejusdem: Annotatio ulterior: quomodo res ista intra virorum solas manus tradi possit. Mog. 1807. 4.

In maxuma per obstetricum inscitiam mulierum vitam incidisse pericula, docet E. von Siebold *über den Gebärmutterkrebs.* l. l. pag. 55.

De limitibus artis obstetriciae per mulieres exercitae vid. Osiander's *Handbuch der Entbindungskunst.* I. Th. Tübing. 1819. 8. §. 14.

c) Exercitationes de generatione animalium, quibus accedunt quaedam de partu, de membranis ac humoribus uteri et de conceptione. Auctore G. Harveo. Hagae 1680. 12.

d) Nic. Stenonis: de musculis et glandulis observationum specimen. Hafniae 1664. 1667. 4.

Regneri de Graaf *e*), Bartholini *f*) aliorumque. Sed extrinsecus saepissime maxumi oriuntur effectus; et tali modo gloria, honor divitiaeque impellebant subito chirurgos, ut diligentiori studio majorique opera amplecterentur artem, quam antea flocci aestumarant. Ludovicus XIV. rex Galliae, parturienti concubinae suae de la Valiere Parisiensem quendam chirurgum, cui nomen Julius Clement *g*), in auxilium vocari jussit *h*), qui tantam regis laudem ejusque amorem iniit, felicissime juvando partu, ut eum rex non solum maxumis cumularet divitiis, sed etiam filiam suam aliasque principes ejus curae obstetriciae committeret, annoque 1711 nobilitatis honore eum afficeret. Gallicum sibi sumsit nomen "*Accoucheur*" et obstetrices ex hoc tempore amabant nominari "Accoucheuses." Quae per tot annos conficere non potuere virorum doctissimorum studium summaque eorum auctoritas, ut majorem excitarent artis obstetriciae amorem, unus rex confecit, qui omnia tunc temporis elegantibus aulae suae moribus regeret. Exemplum ejus omnes secuti, chirurgi omnibus viribus operam dedere arti, per quam eandem sibi fore gloriam sperabant; nec operam frustra impendere, cum et humilioris sortis feminae, excitatae exemplo regis, non abhorrerent virorum auxilium, eorumque studia pro opibus remunerarentur. Quin ipse rex eidem pellici suae auxilium praestitit, infantemque excepit, ut historia ejus nos docet *i*), et tali facto prae-

---

e) Regner. de Graaf: de virorum et mulierum organis generationi inservientibus. L. B. 1672. 8.

f) Thom. Bartholini de insolitis partus humani viis dissert. nov. 1664. 8. Ejusd. antiquitat. vet. puerper. Synops. Hafniae 1666. 12.

g) In Hispania jam idem auxilium praestiterat Mariae Ludovic. Gabriel. Savaudae, Philippi V. uxori. Conf. Histoire litteraire de l'Europe. à la Haye. 1727. 8. Tom. VI. pag. 153.

h) Le Sue l. l. tom. I. p. III.

i) La vie de la Duchesse de la Valiere. à Cologne. 1695. 12. pag. 221. 4. "Le Roi avoit été contraint de faire luy même l'office de sage-femme."

judicium istud noxium ex animis omnino exemit. Auxit taedium obstetricum fraus et turpissima facta obstetricis cujusdam Constantinae, quae foetus interfecit in utero, mulieresque aegras inscitia sua necavit *k*), et lubentius praegnantes se viris commisere, a quorum peritia omnem exspectarent salutem.

§. 29.

In melius se vertere res, et maxumo splendore auctoritateque munita extulit caput in Gallia ars nostra, et non mediocribus laboris sui operibus ejus gloriam per alias regiones propagare studebant viri, qui optime de ea meruerant, monumentumque aere perennius sibi posuerunt in historiae literariae annalibus. Inter hos eximia laude dignus Fr. Mauriceau, cujus observationes obstetriciae Parisiis, longa experientia tum in urbe quum in instituto illo Dei Hospitia nominato factae celeberrimo ejus libro continentur *l*), quem tanto sui excepere plausu, ut ad annum 1740 usque novem ejus editiones factae sint. Primus erat Mauriceau, qui pelvim muliebrem accuratius perspiceret, et quantum in ea momentum esset ad partum, ostenderet. Paulatim reliquere medici obstetricii chirurgiam, utriusque enim doctrinae conjunctionis detrimentum omni jure intellexere, et chirurgi quanquam vocarentur, erant longe alia ratione quam priores. Quales sunt Viardel *m*), qui tempore Morisaei vixit Parisiis, Portal *n*)

---

k) Osiander's *Geschichte*. l. l. §. 175.

l) Traité de maladies de femmes grosses et de celles, qui sont novellement accouchées etc. par Fr. Mauriceau Maistre des Arts etc. à Paris. 1668. 4. c. fig.

— Observations sur la grossesse et l'accouchement des femmes et sur leur maladies et celles des enfans nouveau nés. Par. 1606.

— Dernières observations sur les maladies des femmes etc. Paris 1728.

— Aphorismes touchant la grossesse, l'accouchement, les maladies etc. et autres dispositions des femmes. Paris 1694.

m) Observations sur la pratique des accouchemens naturels, contre nature, monstrueux etc. p. M. Cosme Viardel. à Paris 1674. 8.

n) La pratique des accouchemens. p. P. Portal. à Paris 1685. 8.

et Peu *o*). Bonum habendum signum doctrinaeque maxumo usui, quod sectionem caesaream dignam habebant, de qua accuratiores instituerent observationes, penitioremque de ea facerent disquisitionem, neque eo, quo antea modo cum ea luderent; quod praecipue Peu in libro suo docuit, leniorem parturientium curam inde ostendens, majoremque doctrinae usum, si ad regulas quasdam indicationesque certas operatio tantummodo institueretur, quibus regulis firmandis quam maxuma doctrinae evenerunt bona. Extitere quoque obstetrices et in Gallia et in Germania, quae libris conscribendis operam dedere, de la Marche *p*) in Gallia, et Veronic. Iberin, Elisabeth. Keilin, A. Cl. Horenburgin *q*) et Justina Siegmundin *r*) in Germania. Sed a medicis peritis, quibus ars obstetricia majori tum curae erat, earum facta observari potuere, et in casibus gravioribus talia ab his exspectanda erant consilia, qualia possent liberare parturientes ab omni detrimento vitaeque periculo. Obstetricum in usum opus conscripsit chirurgus quidam Wirtembergensis, Christ. Völter qui bene meritus est libro suo de arte obstetricia *s*).

§. 30.

Haud minoris utilitatis fuere arti obstetriciae doctae illae societates, quae in Anglia et Germania eo tempore institutae sunt, quarum summus finis, per totum terrarum orbem literas divulgandi, easque ad majorem evehendi gloriam. Institutum vetustissimum hujusmodi Londini floret, societas scientiarum regalis, condita anno 1664 per Theod. Haak, ejus-

o) La pratique des accouchemens. p. M. Peu. à Paris 1695. 8.

p) Instruction familière et très facile faite par questions et réponses etc. par Marg. du Tertre, veuve du S. De la Marche. à Paris 1691. 8.

q) Conf. de his: Osiander's *Lehrbuch der Hebammenkunst.* Gött. 1796. 8.

r) *Die Brandenburgische Hofwehmutter.* Cöln an der Spree. 1690. 8.

s) *New eröffnete Hebammenschul oder nützlicher Unterricht christlicher Hebammen u. Wehemütter. durch* Christ. Völtern. Stuttg. 1679. 8.

que scripta "philosophical transactions" ex anno 1665 eduntur. Dissertationes in universitatibus germanicis et batavis de omnibus doctrinarum partibus publicabantur, inter quas multae obstetricii argumenti demonstrant nobis, summum eo tempore studium hujus artis fuisse, quibus accedebat anatomorum physiologorumque opera, omnia ex arte nostra, quae ad sua studia transferre possent, illustrandi et in clariorem ponendi lucem in usum artis obstetriciae *t*).

§. 31.

Caveamus autem, ne majoris, quam decet, aestumemus artis in illo tempore conditionem; satis multa exempla adhuc extant rudis ejus in quibusdam locis status, de quo mirari non possumus, quum multa in arte nostra essent delenda falsa et e pristina conditione orta. In Suecia, ut proferamus exemplum, Joannes de Hoorn rudissimas docuit obstetrices regulas, nunquam imitandas *u*). Instrumenta ista terribilia nondum erant rejecta, quae priorem artis ostentantes statum necabant solummodo infantem, matremque saepissime ad mortem usque laedebant. Perforationum creberrimus usus, ab imperitissimis interdum peractus, nondum aboleverat, quo cum infantibus matres simul interficiebantur. Quibus in operationibus absque omni dubio causa quaerenda est, quod ars obstetricia nondum omnino chirurgiam relinquens solis suis viribus niteretur. Chirurgicis regulis in tractandis his instrumentis opus erat, pudebatque saepissime medicos, inquinare manus suas talibus homicidiis perpetrandis, nimisque adhuc inter

---

t) Swammerdam: miraculum naturae s. de uteri mulieris fabrica. L. Bat. 1729. 4. m. Kupf.

Joh. van Horne: Prodromus observationum circa partes genitales in utroque sexu. 2. B. 1672. 4.

u) Siphra och Pua: eller Hand-Bok för Barmorskor, författad af Johan von Hoorn etc. Stockholm 1777. 8. — In linguam quoque germanicam translatum habemus hunc librum. Würzburg. 1758. 8.

se discrepabant chirurgia et ars medica. Progressus tamen ad meliora factus erat, digna habita arte, quam accuratiore majoreque investigarent labore, et tempus edocuit nos, quantum utilitatis his ex studiis provenerit.

§. 32.

Primus, qui artem obstetriciam in modum disciplinae singularis docuit, vir erat omni laude nostra superior: H. van Deventer, medicus et chirurgus Gravenhagensis: omnia in libro suo *v*) conjunxit ad artem pertinentia, quae a prioribus erant neglecta: ex anatomia, physiologia aliisque doctrinis hausit ea, quibus omni modo carere non posset studium obstetricium: situm parturientium edocuit convenientissimum, quo levaretur maxume naturae opus, et publice ostendit, non solas in arte obstetricia valere manus, sed alia quoque auxilia praestanda parturienti, ad rem praesentem varia et modificanda secundum parturientis naturam. Pelvim quoque penitiori illustravit cura, diametrumque obliquarum aperturae supremae edocuit usum. Quae alia opera edita sunt de arte obstetricia in seculi XVIII. initio, Morisaeum auctorem sunt imitata, proprii in iis nil invenimus. Multum contulere ad augendam artem obstetriciam nosocomia publica in usum parturientium hoc tempore instituta, ut parturientibus ibi prospiceretur, et medicae artis studiosis occasio daretur, observandorum casuum exercendaeque artis. Parisiis huic fini dicatum Hospitium dei et

---

v) Herm. van Deventer: operationes chirurgicae, quibus manifestatur artis obstetr. novum lumen. L. B. 1701. 4.

"Interim in novo hoc artis obstetriciae lumine candide docet, non solummodo, quam variae sint foetuum positurae praeternaturales, sed et imprimis, qua ratione in casu necessitatis ejusmodi positurae foetuum, sive mortuorum sive adhuc viventium absque ulla artificialis instrumenti ope, sola manuum dexteritate sint reducendae vel ipsi foetus pedibus extrahendi, matre pariter ac foetu in vivis manentibus etc. Conf. A. Ottom. Gölicke: historia chirurgiae recentior. Halae Magdeburg. 1713. 8. pag. 317.

1728 nosocomium civile Argentorati *w*). Batavi ex anno 1670 jam prospiciebant obstetricibus collegio obstetricio Amstelodamensi, et anno 1719 Lugduni altero condito. Amstelodami docuit celeberrimus Frid. Ruysch et Lugduni Jac. Denys. — Talis erat ars obstetricia usque ad finem seculi XVII. et initium sec. XVIII.

§. 33.

Haud ineptum erit, respicere ad illa, quae hucusque tractavimus, brevibusque verbis ea huc repetere, quae colligere possumus ad illustrandam disquisitionis nostrae causam. In animo nobis erat, ostendere, qua ratione referri poterit ars obstetricia ad chirurgiam illo tempore, ut judicium inde ferremus de utriusque statu, argumentisque probaremus, extitisse quidem nexum cum chirurgiā, et primo manibus chirurgorum fuisse commissam. Sed edocti sumus, mulieribus quoque commissam fuisse, qui auxilium chirurgorum implorarent in casibus periculosis, cum opus esset auxilio instrumentorum, cui afferendo impares essent feminae. Hae vero ejusmodi fuerunt operationes, quae omni jure chirurgicis adnumerari possent, nam de recentiorum temporum subtilitatibus solarumque manuum usu nil notum, rudibusque solummodo utebantur instrumentis, quae digna erant chirurgiae illius temporis statu. Mulieribus quidem erat ars sua a chirurgia semota, sed doctrinam ab his excultam esse, non cognoscimus, neque doctrina nominanda est: artem potius exercebant, cujus pars rationalis nulli iis curae erat. Ex Ludovici XIV. demum tempore extitere viri, qui dignam eam haberent, cui omne suum consecrarent studium, ex eorumque libris colligere licet, sensisse eos detrimentum artis obstetriciae e nexu cum chirurgia oriens. Non mirandum, fuisse chirurgos, qui exercerent artem nostram, eamque literis traderent; ars obstetricia non carere

w) Ordnung des Hebammenmeisters und sämmtlicher Hebammen der Stadt Strafsburg. 1728.

potest manibus et instrumentis, quorum usus chirurgorum magis erat quam medicorum: et postea certissime extitere viri, qui soli arti obstetriciae operam darent, in eamque omnem suum studium conferrent, quin chirurgorum nomini valedicerent. Nihilominus ad id nondum pervenerat fastigium, ut omnino ommissa conjunctione cum chirurgia nullas ex ea regulas observationesque depromeret. Judicium, quod inde possumus ferre, hoc fere est: conjuncta fuit ars obstetricia primo cum chirurgia, paulatim vero, crescente studio, desciscere ab ea studuit, quam tamen non omnino reliquit. Sed temporis illius conditione moribusque multa attribuere necesse est. Ob oculos ponamus totum scientiarum statum et chirurgorum humilitatem, respiciamus instrumenta illa obstetricia, similiora chirurgicis quam illi negotio apta; et superbiam medicorum, qui eodem modo et chirurgos et artem obstetriciam exercentes contemnebant sibi tanquam subditos, si consideramus, mirari non possumus, chirurgiam et artem obstetriciam eandem sortem expertas, foedus iniisse, quam gravi tantummodo labore ac opera solvere potuerunt.

§. 34.

Ad aliam transimus historiae nostrae periodum, remque enarrare in animo est, qua praecipue effectum est, ut ars obstetricia eriperetur manibus chirurgorum, et singularis evaderet doctrina. Inventam forcipem obstetriciam dicimus, quae subito omnia instrumenta crudelissima inutilia reddidit, rudioris artis argumenta, leniorique modo et infantibus et matribus salutem attulit. Praejudicio esse non potest, a chirurgis hoc inventum prodiisse, quum, ut antea saepius diximus, sub eorum auspiciis omnis ars esset obstetricia. Dolendum vero est, per tot annos hoc instrumentum ab ejus inventore, Hugone Chamberlaine ejusque propinquis, sordidi questus studio, celatum fuisse, nec in publicum prodiisse usum. Hujus loci non est, de inventione forcipis multa verba facere, et de legitimo

quaerere inventore *x*). Addere tamen sufficit, multos accuratius hanc rem occultam indagasse, qua tot matribus infantibusque vita conservaretur, inter quos Joh. Palfyn, Gandaviensis chirurgus, primus publicavit instrumentum, duobus e chalybe cochlearibus confectis compositum, quibus tamquam manibus ferreis usus est *y*). Plures quidem chirurgi obstetriciique medici hoc instrumentum postea alia instruxere forma, modo cavis cochlearibus modo planis, modo brevioribus modo longioribus *z*): sed Palfyno tamen legitimus instrumenti inventi honor tribuendus. Nova inde specie ars obstetricia ornata, terroribus illis expulsis, multos adliciebat viros auctoritate et doctrina plenos, qui antea eam tamquam rudem et omnibus numeris erudito viro indignam abominati erant.

§. 35.

Summo cum studio ubique ars obstetricia colebatur; cathedrae ei exstruebantur, librique publicabantur, quorum argumentum sola ars obstetricia erat, sejuncta ab omni alia doctrina, quamquam Heisterus, professor celeb. Helmstadiensis, eam adhuc cum chirurgia conjunctam docebat *a*). Ab omnibus fere sentiebatur, artem nostram ab omni re therapeutica atque physiologica sejunctam constare non posse, quare gravissima conscripserunt opera, quibus omnia haec erant conjuncta. Talia sunt Schurigii *b*), quem mox alii sequebantur. Nihilominus prostant exempla de

---

x) Danz: brevis forcipum obstetriciarum historia. Giess. 1790. — Joh. Mulder: historia literaria et critica forcipum et vectium obstetriciorum c. tab. et fig. L. B. 1794. *übersetzt u. vermehrt von* J. W. Schlegel. Lips. 1798. 8.

y) Levret: Observations etc. à Paris 1748. 8. Sect. 81.

z) Froriep's *Handbuch.* l. l. pag. 433.

a) L. Heister: institutiones chirurgicae. Amstel. 1739. 4.

b) Embryologia historico medica, hoc est, infantis humani consideratio physico medico forensis etc. a Mart. Schurigio. Dresd. 1732. 4.

Ejusdem Muliebria, h. e. partium genitalium muliebrium consideratio. Dresdae 1720. 4.

— Gynaecologia et parthenologia etc.

rudissimis medicorum obstetriciorum factis, quae magnopere felici artis progressui nocebant, et quamquam ab obstetricibus imprimis in Germania multa commissa erant, tamen non ubique virorum auxilium apud parturientes valuit eodem, quo in Gallia et Batavia modo *c*).

§. 36.

In Batavia tristissimae sequebantur contentiones de vera inventi illius natura, quo usus esset Chamberlaine, quum multi essent, qui jactarent, se possidere adhuc verum ejus inventum. Quae lis Amstelodami imprimis extitit apud collegium medico-pharmaceuticum. Nullius autem erant frugis, quae moliti sunt ad inveniendum verum ejus instrumentum: errabant ii, qui crederent, se possidere legitimum ejus inventum. Id tantummodo comprobatum est omnibus disquisitionibus, duos fuisse vectes, quibus usus fuisset Chamberlaine ad extrahendum sine ullo periculo infantem.

§. 37.

In Gallia vero ars obstetricia quam maxumos fecit progressus, et cum in hac terra, Ludovico XIV. regnante, prima esset exculta, invidere non licet huic studiorum illorum proventui. Medio fere proximo saeculo quam maxume excelluit vir, qui summam sibi et literis suis et exercenda arte comparavit famam, Andreas Levret *d*), chirurgus medicusque obstetricius Parisiensis. Forcipem longiorem fecit, ut et altiore

---

c) Osiander's *Geschichte*. I. I. §. 239.

d) Observations sur les causes et les accidens de plusieurs accouchemens laborieux etc. à Paris 1748. m. K.

Suite des observations sur les causes etc. à Paris 1751. 8.

Explication de plusieurs figures sur le Mechanisme de la grossesse et de l'accouchement. à Paris 1753.

L'art des accouchemens, démontré par des principes de physique etc. à Paris 1766.

Essais sur l'abus de regles générales et contre le préjugés, qui s'opposent aux progrés de l'art des accouchemens. à Paris 1766.

quoque situ posset detrahere infantem. Et omnibus numeris chirurgum fuisse, libro suo de polypis *e*) ostendit. Mathematica in artem transferre studuit placita, Deventeremque illum hac in re secutus est. — Eodem fere tempore, quo Levret in Gallia docuit, Londini Will. Smellie extitit, qui hanc solam amplectebatur artem, eamque libris suis praeclarissimis perficere studuit *f*): Brevissima utebatur forcipe, longe alias rationes, quam Levret, secutus, et naturae plurime hac in re confidens. Ante ejus jam tempora ars obstetricia apud ejus populares floruit; instituta obstetricia publica jam dudum habebant, artique quam maxumam operam dabant. Adversarium habuit Smellie medicum obstetricium J. Burton *g*), quem nominare oportet, quod primus parturientes in latere jacentes ab infantibus liberaret, quae consuetudo hodie adhuc viget in Anglia.

§. 38.

Germani autem seculo proxime praeterlapso medio tantum studium impenderunt arti obstetriciae, ut summo cum jure cum Gallis Anglisque possent aemulari. Viri extitere, qui non solum in arte obstetricia excelluere, sed aliarum quoque peritissimi fuerunt doctrinarum. C. Kaltschmidt, professor Jenensis, multas ad artem obstetriciam pertinentes dissertationes edidit *h*), J. H. Janke forcipem Bingianam inter sui tempo-

---

e) Observations sur la cure radicale de plusieurs polypes de la matrice, de la gorge et du nez par Levret. à Paris 1749. 8. m. K.

f) A treatise on the theory and practice of midwifery. by W. Smellie. Lond. 1752. 8. three volum. new edit. 1779.

g) An Essay towards a complete new system of midwifery theoretical and practical etc. by J. Burton. Lond. 1757. 8.

A lettre to W. Smellie containing critical and practical remarks upon his treatise on the theory etc. Lond. 1753. 8.

h) Osiander's *Geschichte*. I. 1. §. 273.

ris medicos promulgavit *i*), et Mohr *k*) machinas obstetricias, sic dictas phantasmata invenit. Instituta quoque publica Lucinae sacra multum contulere ad augendam artem eamque exercendam, quae floruere Berolini a Friderico II. ad exemplum Argentoratense conditum, et Gottingae Georgio III. regnante institutum, quod Hallerus celeberrimus commisit illustriss. Roederer. Huic viro summo ingenio praedito, quam plurima debet ars obstetricia, eamque libris suis, quorum auctoritas hodie adhuc floret, quam maxume auxit *l*). H. Nep. Crantz, professor Viennensis, haud minore dignus est laude, qui libris suis oppugnavit instrumentorum acutorum usum, situmque infantium in utero bene noscere docuit *m*).

§. 39.

Nullum amplius nexum interesse inter artem nostram chirurgiamque invenimus, virosque multos historia ostendit, quorum sola occupatio ars obstetricia erat, et qui omnibus suis viribus eam augere et in majus ferre studebant. Sed progrediente arte obstetricia chirurgiae quoque prolati sunt

---

i) J. H. Janke: de forcipe ac forfice, ferramentis a Bingio chirurgo Hafniensi inventis, eorumque usu in partu difficili. Lips. 1750. 4.

k) *Die gebährende Frau, sammt ihrer Leibesfrucht in Lebensgroefse sowohl durch Kunst abgebildet, als auch von einem Todengerippe genommen etc.* Frankf. u. Leipz. 1750. 8. *Mit einer Vorrede von* D. F. Börner.

l) Joann. G. Roedereri elementa artis obstetriciae in usum auditorum denuo edidit H. Aug. Wrisberg. Goetting. 1766. 8.

Ej. Icones uteri humani observationibus illustratae. Gott. 1759. f. m. K. Opuscula medica sparsim prius edita, nunc demum collecta, aucta et recusa ed. Joh. G. Roederer. Gott. 1763. 4. m. K.

Quae jacent inedita praestantissimi hujus viri, celeb. Mende se editurum promisit. Conf. *Beobacht. und Bemerk. aus der Geburtshülfe etc.* Erst. Bändch. Gött. 1824. pag. 152.

m) *Einleitung in eine wahre und gegründete Hebammenkunst.* Wien. 1770.

Ej. Adversaria de praecipuis artis obstetriciae auxiliis. Lips. 1760. 4.

Ej. Dissertatio de re instrumentaria in arte obstetricia cum tribus observationibus ad vir. clar. Buchner. 1757. 4.

fines, latiusque quam antea patebat utriusque doctrinae campus, quid igitur mirum lubentissime a se discessisse doctrinas, quum mutuo inter se auxilio non amplius opus esset, sive cognitionem spectes, sive statum externum: nam abrogata erant instrumenta ista terribilia, lenioraque auxilia in arte obstetricia florebant, quae ad adhibenda singulari opus erat studio; pars physiologica et anatomica in arte nostra magis exculta majus quam antea postulabat studium, ut secundum hoc certae regulae traderentur, quibus operationes essent faciendae, Saepissime solis manibus opus erat absque omni instrumento, et ex apto earum usu pendebat salus et matris et infantis; verbo, tunc ea erat ars obstetricia, quae solis viribus suis freta singulare postulabat studium, a chirurgico magnopere diversum. Quod vero ad statum externum attinet: praejudicia illa, quibus omne per feminas antea arceretur auxilium virorum erant fugata, neque viros in salutem suam vocare horrebant, quorum de doctrina et cognitione persuasum iis fuerit. Germanica ars mox aequabat Gallicam, quin eam antecessit. Sunt argumento nomina illa celeberrima: illustr. Stein *n*), Cassellanus primo professor, tum Marburgensis: praeclar. Wrisberg *o*), Gottingensis, qui sequebatur Roederer illum; Sommer *p*), Brunsuicensis, et Plenck *q*), Viennensis. Inter hos Stein nos docuit imprimis graviditatis signa, firmavit regulas forcipis adhibendae, versionisque instituendae, optimamque de sectione caesarea doctrinam dedit. Doctrinae formam descripserunt omnes, qua posteri summa cum fide niti potuere. Ceteri me-

---

n) G. W. Stein's *Anleitung zur Geburtshülfe.* 7te Aufl. Marb. 1805. m. K.
Desselb. *kleine Werke zur practischen Geburtshülfe.* Marb. 1798. 8.
Desselb. *Nachgelassene geburtshülfl. Wahrnehmungen.* Herausgegeb. von G. W. Stein (jetzt Prof. in Bonn) 2 Theile. Marburg. 1807-1809.

o) Commentationum anatomici, medici, physiol. obstetr. argumenti etc. Vol. I. Gott. 1800.

p) *Die Axe des weiblichen Beckens* von Sommer. 2te Aufl. Weissenfels. 1797. Praenotionum obstetriciarum. Pens. I. 1794. Pens. II. Brunsv. 1800.

q) *Anfangsgründe der Geburtshülfe.* 5te Aufl. Wien. 1792. 8.

dici magnopere eorum studiis faverunt, anatomiam, physiologiam, therapiamque ita colentes, ut rebus ex his obstetriciis studium suum impenderent, imprimis genitalia eorumque functiones morbosque accuratiori submisere considerationi, et inventa de iis lubentissime communicavere cum artis obstetriciae peritis. Mutuo doctrinarum auxilio gaudebat medicina, majorque inde oriebatur salus, quam antea, cum quilibet sua ab una solummodo excoleret parte. — Argentoratum his temporibus veterem semper conservavit gloriam, multique inde prodiere medici obstetricii praeclarissimi. Joh. Jacobum Fried secutus est G. Alb. Fried, filius, qui libro suo *r*) magnam temporis sui comparavit gloriam.

§. 40.

In Dania excelluit M. Saxtorph, qui in itineribus suis per Germaniam Galliamque factis audierat viros Fried et Levret, eorumque doctrinas libris suis editis *s*) tradidit, et ita multa profecit arti obstetriciae Danicae. — In Anglia numerus medicorum, qui artem nostram colebant, indies crevit, licet non deficerent, qui artem obstetriciam per viros exercitam esse noxiam docerent, inter quos et obstetrix quaedam erat, quae scriptis suis omne auxilium per viros et instrumenta obstetricia rejicere studuit *t*). Inter contemtores forcipis in Anglia celeberr. quoque Hun-

---

r) G. Alb. Fried: *Anfangsgründe der Geburtshülfe zum Gebrauch seiner Vorles.* Strasb. 1769. 8.

s) *Umriſs der Geburtshülfe für Wehmütter.* A. d. Dänischen übersetzt von C. F. Schröder. Coppenh. und Leipz. 1783.

Dessen *Umriſs der Entbindungskunst*, übers. v. C. Todo. Coppenh. und Leipz. 1792. 8.

Saxtorphs *gesammelte Schriften geburtshülfl. practischen und physiolog. Inhalts* herausgeg. v. P. Scheel. Coppenh. 1803 - 1804. 2 Bde. 8. m. K.

t) Elis. Nihell: treatise on the art of midwifery setting forth various abuses therein, especially as to the practice with instruments. Lond. 1760. 8.

De praestantiae artis obstetriciae vel a viris vel a mulieribus tractatae in Anglia certaminibus tunc temporibus creberrimis vide: On the danger and immodesty of the

ter *u*) extitit; quod ad consilium immensa ejus honoris cupiditas invidiaque excitavit magnum quidem anatomum, sed neutiquam artis obstetriciae peritum. Quantos in Anglia progressus fecerit ars nostra, ex instituto Lucinae sacro Londinensi, a Doct. Leake condito, colligere licet *v*). — In Germania quoque eundem ad finem anno 1774 Bruchsalae et Detmoldiae instituta obstetricia condebantur, 1775 Dresdae et Fuldae, Magdeburgi Sax. 1777, Jenaeque 1779. — Artem vero therapeuticam istius temporis medicos quam maxume amplexos fuisse, qua nunquam carere potest ars obstetricia, ne ad pristinum relabatur statum ruditatis atque humilitatis, ex eo elucet, quod febrem puerperalem, terribilem morbum tunc temporis Londini grassantem, quam optime observarunt medici obstetricii, multasque de ea disquisitiones memoriae nostrae tradiderunt. Argumento nobis est haec res, nunquam posse semoveri artem therapeuticam ab obstetricia, et imprimis mulierum affectiones morbosque magis pertinere ad doctrinam sive ad medicos, qui omnem suam operam vitaeque studium dedant huic arti: causa enim tot malorum, quibus mulieres afficiuntur, in systemate genitali sita et ex laesis ejus functionibus orta; quare ad eum imprimis referenda sunt medicum, qui nocturna diurnaque pertractat manu sexum sequiorem ejusque corpus et naturam optime cognovit *w*).

---

custom of unnecessarity employing Man-midwifes. Lond. 1772. 8. — The modern practice of midwifery considered. Lond. 1773. 8.

u) Osiander's *Geschichte*. l. l. §. 302.

v) The Gentleman's Magazine and historical chronicle by Sylv. Urban. Vol. XVII. Year 1757. Lond. 8. §. 163.

w) Jam Plato in Timaeo de his morbis, quorum causae in utero sitae, elegantissima haec habet: "Vulva quoque matrixque in feminis eadem ratione, animal avidum generandi, quando procul a foetu per aetatis florem, aut ultra diutius detinetur, neque fert moram ac plurimum indignatur: passimque per corpus oberrans, meatus spiritus intercludit, respirare non sinit, extremis vexat angustiis, morbisque denique omnibus premit. etc." l. l. p. 1088.

§. 41.

Quanto vero splendore ars obstetricia in Germania florebat, tanta celeritate in pejus ruit in Gallia post mortem celeberr. Levret, neque valuit J. L. Baudelocque ejus gloriam conservare, cujus libris x) nihil fere, quod ipsius sit, continetur, neque Sigault, chirurgi medicique obstetricii Parisiensis nova ista ratio, synchondrotomia finiendi partum y), cui tanta opposita essent obstacula, quae hac sola operatione vincerentur, nisi sectio caesarea adhiberetur. Multi summa cupiditate novum hoc inventum ejus amplectebantur, et imprimis Camperus dignum id habuit, quod accuratius investigaret. Omni jure cum sectionis caesareae inventione synchondrotomiam possumus comparare; chirurgis novus in arte obstetricia apertus est campus: exspectationi vero non satisfecit eventus, quanquam multi fuere, qui Gallicum hoc inventum sint imitati z).

---

x) Principes sur l'art d'accoucher, par demandes et réponses en faveur des sages-femmes. Paris 1787. 12.

L'art des accouchemens. 4me edit. 2 Vol. Paris 1807. 8.

y) Recit de ce que s'est passé à la faculté de Médecine à Paris, au sujet de la section de la symphise des os pubis, pratiquée sur la femme Souchot. à Paris. 1777.

Conf. le Sue l. l. Tom. I. §. XII. pag. 276. et Osiand. *Gesch.* l. l. §. 326. — Alph. le Roy: Recherches historiques et pratiques sur la section de la symphise du pubis. à Paris. 1778. 8.

z) Primus in Germania hanc operationem suscepit Car. Casp. Siebold, Herbipolensis ille chirurgus celeberrimus, anno 1778 tanta cum felicitate, ut multos adhuc per annos femina, quae hac operatione ab infante liberaretur, viveret. Ejus pelvis conservatur Berolini in collectione obstetricia El. de Siebold artis obstetriciae professoris. Confer. Lucina herausgeg. von D. El. von Siebold. 2ter Band 1. Stück. Leipzig. 1804. 8. pag. 114. "*Nachricht von der M. Markard aus Pfersdorf in Franken, an welcher mein Vater* 1778 *den Schaambeinfugenschnitt unternahm, nebst Zusätzen und Bemerkungen. Vom Herausgeber.*" — Confer. Comparatio inter sectionem caesaream et dissectionem cartilaginis et ligamentorum pubis in partu ob pelvis angustiam impossibili suscipiendas, quam praeside Carolo Casparo Siebold propugnabit J. P. Weidmann. Wirceburgi. 1779. 4.

§. 42.

In Germania eodem quo antea omnes fere colebant medici obstetricii artem suam, et inter hos imprimis excelluit J. Christ. Stark, prof. Jenensis, qui commentariis suis editis *a*) aliis quoque medicis locum dedit, suas observationes notatu digniores in publicum edendi usum. Mox alii medici ejus exemplum secuti collectiones omnium ad artem nostram pertinentium edebant *b*). Quod institutum magnae erat arti utilitati, et quam maxume ad eam perficiendam conferebat.

§. 43.

In Anglia mox tam perversae in arte obstetricia prolatae sunt regulae, ut omnino rediret ad pristinum fere statum, parumque utilitatis inde in doctrinam oriretur. Tali modo venerati sunt Angli naturam, ut omnia sua in ejus ponerent auxilio, rarissimeque arte sua ei succurrerent, quibus placitis perniciosissimis hodienum adhaerent, cujus rei tristissima extitere nuper exempla. Thomas Denman *c*) et W. Os-

---

a) *Archiv für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und neugeborner Kinder-Krankheiten.* 6 Bde. Jena. 1787 - 1797.

Neues Archiv. 2 Bde. Jena. 1798 - 1803.

b) *Journal für Geburtshelfer.* Frankf. und Leipz. I. 1787. II. 1788. 8.

Dav. Busch *Magazin für Geburtshelfer.* 1st. St. Marburg. 1787. 8.

v. Loder *Journal für Chirurgie, gerichtliche Medicin und Geburtshülfe.* Jena. 1798 - 1804. 4 Bde.

c) An introduction to the practice of midwifery, by Thom. Denman. 5. ed. Lond. 1816. —

An Essay on natural labours. Lond. 1786.

An Essay on praeternatural labours. Lond. 1787.

Aphorismes on the application and use of the forceps on praeternatural labours etc. Lond. 1783. 12.

Denman partum arte praematurum imprimis accuratius investigavit, fusiusque de eo locutus est libro suo: an introduction etc. pag. 439 sq. quamquam non primus esset, qui eum instituerit.

Conf. C. Aem. Kelsch dissertat. de partu arte praematuro. Berol. 1824. 4. pag. 23.

born *d*) imprimis de hoc naturae honore libris suis egere, et quamvis viri summo ingenio praediti, artis obstetriciae gloriam apud Anglos vix sustentavere *e*), et summopere dolendum est, Germanos quoque eos interdum imitari, falsasque eorum de re obstetricia opiniones in suam transferre artem, Anglomania, ut poeta ille nobilissimus dixit, correptos *f*).

§. 44.

In Gallia tristissimae illae turbae, quibus omnia pervertebantur, scientiis finem in aliquot tempus fecere, et qui viri artium erant participes, temporis ingenium in eas transferre summis nitebantur studiis. Talis fuit Sacombe, multis quidem excellens editis libris, sed quorum argumenta ad artem augendam parum valuere *g*). Si novissimis temporibus solam ab omnibus aliis doctrinis sejunctam invenimus in Gallia artem obstetriciam, magna tamen ejus fama atque gloria abierat. Qui auctores in re obstetricia apud Gallos laude sunt digni, celeberr. Baudelocque sententias praecipue sunt secuti, quas libris suis imitantur. Obstetrices duae adhuc nominandae, quae literis operam dedere, Mdme Boivin et Md. la Chapelle *i*).

---

d) Essay on laborious parturitions, by W. Osborn. Lond. 1783.

Essays on the practice of midwifery in natural and difficult labours. Lond. 1792.

e) Fischer: *Bemerkungen über die englische Geburtshülfe.* Götting. 1797. 8.

f) Osiander *Gesch.* l. l. §. 358. acerrimo isto sale suetoque lepore haec habet: "*Den teutschen Aerzten, welche einmal in England waren, hängt die Anglomanie so an, wie der Steinkohlenqualm ihren Büchern unvertilgbar anklebt.*"

g) Ex ejus libris unum tantummodo laudare liceat, ex quo omnes alii considerandi: "Les douze Mois de l'ecole anticésarienne etc. à Paris 1797" quippe qui condidit contra sectionem caesaream atque synchondrotomiam scholam eamque nominavit école anticésarienne.

h) Memorial de l'art des accouchemens. à Paris 1812. 8.

i) Pratique des accouchemens ou mémoires et observations choisies sur les points les plus importans de l'art par M. L. publiés par A. Dugés. Vol. I. Paris. 1821. 8.

De statu artis obstetric. in Gallia conf. Joh. Friedr. Osiander: *Bemerkungen über die französische Geburtshülfe nebst einer ausführlichen Beschreibung der Maternité in Paris.* Hannover. 1813.

§. 45.

Apud nostros indies crevit numerus virorum doctissimorum summoque ingenio praeditorum, qui artem obstetriciam omni, qua possent, amplecterentur studio, ejusque gloriam ac dignitatem conservare studerent. Duo viri hic praecipue nominandi, quam maxume inter se discrepantes, sed cum maxuma artis obstetriciae utilitate. Viennensis alter, Luc. Joh. Boer, alter F. B. Osiander, beatus ille Gottingensis Professor. Ab illo novam esse ortam in re obstetricia scholam, voluere fautores ejus, naturam optimum sequentes ducem: nam omnes perficere partus naturam, et rarissime opus esse auxilio instrumentorum, libro suo edito *k*) docuit celeb. Boer, qui in Anglia et Gallia naturalem partus statum satis satisque cognoverat, non solum in quibus partibus vel occiput vel vertex, sed etiam in quibus vel facies vel pedes pars praevia esset. Negandum non est, maxumo fuisse arti usui observationes ejus, quum penitiori cura ostenderit, quid possit natura, ejusque leges quum indicaverit: sed nimia in naturam fiducia quid noceat, Anglica nos docent exempla: et in re obstetricia naturae arctissimam cum arte conjunctionem solam praestare salutem, satis satisque constat. Longe ab hoc viro diversus alter erat, quem nominavimus, Fr. Benj. Osiander, qui ex anno 1785 usque ad 1822 Gottingae docuit, quo anno diem obiit supremum. Quid in arte sua fecerit hic vir, omni laude nostra superior, notissimum est, ejusque opera edita, quibus immensam suam omnium medicinae partium cognitionem ostendit, judicio sunt. Plurima ad artem perficiendam studio indefesso contulit, et imprimis perforationem rejecit; quid vero posset forcipis applicatio, satis satisque demonstravit, quod instrumentum ultra fere modum veneratus est; quid

---

k) L. J. Boeri naturalis medicinae obstetriciae libri VII. Viennae. 1812. 8. — Lingua quoque vernacula tres hujus libri editiones extant.

Abhandlungen und Versuche geburtshülfl. Inhalts. 3 Th. 1791 - 1793.

igitur mirum, multos habuisse obtrectatores, atque de ejus meritis magnopere hominum dissensisse judicia, cujus rei argumento sunt contentiones et jurgia cum pluribus coaevis medicis obstetriciis, quae acerrimis interdum verbis ac ejus doctrina indignissimo exhibuit modo *l*). Nostrum vero non est, de eo sententiam ferre, addere tamen sufficit, ejus studiis quam maxume artem nostram esse excultam, multaque ei deberi nova *m*).

§. 46.

Ad novissima tempora disquisitione nostra perducta, superest, ut verba quoque de iis faciamus, quae in patria recentiorum medicorum studio debeat ars nostra, priorum jam opera ad eam progressa conditionem, quam recentiores magis magisque firmabant ac conservare studebant. Optime de ea meruit celeb. Ad. El. de Siebold, Herbipolensis primo professor artis obstetriciae, postea Berolinum a rege potentissimo vocatus. Praeceptores habuit in arte sua Fr. B. Osiander et Stark professorem Jenae docentem. Prioris principia, medium tenens, purgare studuit, sua quidem natura committens, sed nullo modo instrumentorum valedicens usui. Xenochochium obstetricium in patria sua urbe instituit, et Berolini anno 1817

---

l) Ejus in hac re suscepit defensionem solita sua humanitate atque suavitate inter Germanos naturae peritos Nestor, celeberrim. J. F. Blumenbach in libello: Memoria F. B. Osiandri in consessu societatis regiae scientiarum. Gott. 1822. 4.

m) Priora ejus opera vide in: Osiander's *Geschichte* etc. l. l. p. 580 sq. Quibus addenda sunt: *Annalen der Entbindungslehranstalt* 2 Bd. Gött. 1801-1804. 8.

Grundrifs der Entbindungskunst zum Leitfaden b. sein. Vorles. Gött. 1802. 2 Bde.

Handbuch der Entbindungskunst. 1. Bd. 1. u. 2te Abth. Tübing. 1819. 2ter Bd. 1. Abth. 1820. 2te Abth. 1821. 8.

De statu artis obstetriciae eo tempore, quum Osiander eam exercere inciperet, confer. *Darstellung meiner Grundsätze der Entbindungskunst, mit vorangehender Schilderung des Zustandes der Entbindungskunst in Teutschland kurz vor, während und nach der Zeit, als ich diese Kunst studierte und ausübte, in "Neue Denkwürdigkeiten etc. für Aerzte und Geburtshelfer,* von Fr. B. Osiander." Erster Bd. 2t. Bogenz. Gött. 1799. 8. pag. 1.

in usum medicinae studiosorum, sub ipsius auspiciis florens institutum Lucinae sacrum condidit. Ex anno 1802 commentaria sua edit *n*), quae nunc etiam continuantur. Aliis quoque operibus artem obstetriciam conjunctamque cum ea therapiam mulierum magis magisque excolere studet *o*). — Viennensis professoris principia magis secutus est L. Fr. de Froriep, qui libro suo *p*) ea propagare conatur. — Partus humani historiam, ex physiologicis imprimis illustratam principiis, optime nos docuit J. H. Wigand *q*), quem defunctum summo cum jure quam maxume luget ars nostra. Multa ex ejus libro arti obstetriciae orta sunt utilia, quum nemo ante eum tale suscepisset opus, placitisque physiologicis ornasset artem nostram. — Eandem fere laudem sibi comparavit professor Lipsiensis, illustr. J. Ch. G. Joerg, qui libris suis physiologicam quoque mulierum partem illustrare summis nititur studiis *r*). — Gottingae beatum Osiander secutus est celeb. Lud. Mende, Gryphiensis antea professor, jamdudum medi-

---

n) *Lucina. Eine Zeitschrift zur Vervollkommnung der Entbindungskunde* von Dr. A. E. von Siebold. I-IV. B. Leipzig. 1802-8. 8. V-VI. B. Marb. 1809-1811. Tunc mutato titulo: *Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten.* I-IV. Bdes 3tes Stück. Frankf. am M. 1813-1824. 8.

o) *Lehrbuch der theoret. pract. Entbindungskunde.* 1. Bd. 4te Ausgabe. Nürnberg. 1824. 2ter Bd. 3te Ausg. 1821. 8.

Ueber den practisch. Unterricht in der Entbindungskunst, nebst systemat. Uebersicht seiner Uebungen am Phantom. Nürnb. 1803. 8.

Handbuch zur Erkenntnifs und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Frankf. a. Main. 2te Ausg. 1. Bd. 1821. 2ter Bd. 1. u. 2ter Abschn. 1823. 8.

p) *Handbuch der Geburtshülfe* von L. Fr. v. Froriep. 7. Ed. Weimar. 1822. 8.

q) Dr. Just. H. Wigand: *die Geburt des Menschen in physiolog. diätet. und pathol.-therapeut. Beziehung* herausgegeb. von F. C. Naegele. 2 Bde. 1820. 8.

r) *Handbuch der Geburtshülfe für Aerzte und Geburtshelfer.* 2te Ed. 1820.

Ueber das Gebärorgan der Menschen und der Säugethiere im schwangern und nicht schwangern Zustande. Leipz. 1808. fol.

Handbuch der Krankheiten des menschl. Weibes, nebst einer Einleitung in die Physiologie und Patholog. des weibl. Organism. Leipz. 1809. 8.

Schriften zur Beförderung der Kenntnifs des menschl. Weibes im Allgemeinen, zur Bereicherung der Geburtshülfe insbesondere. I. Th. Leipz. 1812. II. Th. 1818. 8.

cinae forensis et mulierum affectionum studio excellens; et quamquam duobus solis annis Lucinae Gottingensis antistes, permulta tamen ad eam perficiendam contribuit, scientiamque novis suis observationibus *s*) ex arte obstetricia medicinaque forensi ornavit, quibus studiis conjunctis maxumas nostras meret gratias, quum medicina forensis multa ex arte obstetricia capiat emolumenta.

Aberraremus a proposito, si omnium hoc tempore in arte obstetricia excellentium mentionem fecissemus. Exempla prolata sufficiant, et summo cum jure nos promisso nostro satisfecisse putamus, quum ostenderemus hac disquisitione ad nostra usque tempora perducta, florere artem obstetriciam hodiernis diebus absque omni cum aliis doctrinis arctiore conjunctione, suisque firmissimis niti viribus, et viros fere omnes, qui hanc artem in academiis doceant, omne suum studium in ea ita collocare, ut nihil in ea ad chirurgiam referant.

§. 47.

Ad alteram disquisitionis nostrae transimus partem, qua viam ingrediemur, longe a priore diversam, ex ipsius scilicet doctrinae principiis ejusque definitione argumenta sententiae nostrae, non posse conjungi artem obstetriciam cum chirurgia, ducere studebimus. Ut huic satisfaciamus fini, nos historiam artis omnino relinquere necesse est, contemplationi soli operam impendentes; doctrinae ratio ob oculos ita ponenda est, ut ne ejus historiam in auxilium vocemus. Quam maxumi vero momenti erit, strictissimam utriusque doctrinae statuere definitionem, utriusque finem illustrare, et ex his jam depromere licet multa fini nostro utilissima. Definitioni artis obstetriciae omnia sunt superstruenda; nam in qualibet docenda doctrina ejus definitionem praemitti oportet, ut videat ille, qui

---

s) *Beobachtungen und Bemerkungen aus der Geburtshülfe u. gerichtl. Medicin. Eine Zeitschrift* von Dr. L. Mende. 1. Bdch. m. K. Götting. 1824. 8.

amplecti eam velit, quid in ea exspectandum sit, qua ratione eam discere possit, et qualis sit ejusdem artis campus *t*).

§. 48.

Mulier gravida est, ad quam ars obstetricia refertur, regulisque suis datis feminam per statum graviditatis, partus et puerperii comitatur, videns ne detrimentum capiat ejus corporis organismus; a momento graviditatis talia ei praescribit, ut per eam integra veniat ad momentum partus, ut felicissime hic finiatur, ut et ipsa in puerperio omnia effugiat pericula et miserias, quibus obnoxia est. Gravidae feminae vitae regimen magis est artis obstetriciae pars praevia, partus vero auxilium pars princeps, cura puerperii magis medela subsequens. Infantis vero vita ejusque integer status medico obstetricio quam maxumae quoque curae esse oportet, et omnes auctores definitione sua infantis quoque curandi mentionem faciunt *u*). Tollitur hac definitione partitio ista obstetricia in partem medicam et mechanicam vel chirurgicam, de qua jam supra §. 7. locuti sumus; ad finem nostrum utraque opus est parte, nec ullo modo una ab altera sejungi potest. Partem therapeuticam graviditatis saepe tempore et puerperii adhibere co-

---

t) *Ueber die in den Lehrbüchern der Entbindungskunde gewöhnliche Einleitung in die Entbindungskunde* von Fr. J. Anna, pract. Arzt u. Geburtsh. in Rastadt in v. Siebold's Lucina. 1. Band. 3te Stück. pag. 364.

Bemerkungen zu den Aeufserungen des D. Anna etc. von Dr. A. F. Nolde, herzogl. braunschw. Lüneb. Hofr. u. Leibarzt. Ibid. 4. Bd. 1. St. p. 12.

u) El. von Siebold: *Lehrbuch der theor. Entb. etc.* Nürnb. 1824. 1. Th. §. 5. "*Geburtshülfe kann nach der Analyse des Worts nicht blofs die Hülfe mechanischen Antheils, sondern jede bezeichnen, welche nur immer einer Gebärenden und im weitern Sinne auch einer Schwangern, Gebärenden, Neuentbundenen und dem Neugeborenen geleistet wird: mithin auch die medicinische und chirurgische Hülfe zum geburtshülflichen Zwecke. Nach diesem Begriffe läfst sich auch jener eines Geburtshelfers bestimmen.*

Conf. Osiander's *Handbuch der Entbindungskunst.* l. l. 1. Th. §. 1 u. 2.

L. F. v. Froriep *Handb. der Entbind.* l. l. §. 1 u. 2.

Entwurf eines Systems der Geburtshülfe als reine Wissenschaft dargestellt von Dr. Fr. Hand zu Sorau in der Niederlausitz, in von Siebold's Lucina. 4ter Bd. 1. St. p. 31.

gimur, quin in ipso saepissime partus momento ex ea remedia quaerimus; et vae medico obstetricio, qui alterius auxilio indigeat! Artem suam ad priorem humilitatem deprimeret, et nomine suo summo jure indignum se redderet. Si statueremus partem artis nostrae mechanicam, obstetricibus eam attribuere possumus, quanquam et hac parte, quae dicitur therapeutica, omnino carere nequeunt, imprimis iis in locis, ubi non adsint medici, et ubi mulierum gravidarum vivendi ratio curae iis esse oportet.

§. 49.

Graviditas, partus et puerperium, a natura ipsa instituta, sunt vitae vicissitudines in mulieribus: nec quidquam habent morbosi, nisi ab externis causis transferantur in eas momenta, quibus perniciosae fiant, naturaeque corrigendae postulent curam. Chirurgia vero morbis a primo ortu curandis operam impendit, et organismum partim causis mechanicis, partim chemicis, vel in hominum constitutione totoque habitu sitis laesum in pristinum redigere statum studet. Ars obstetricia cavet magis, ne status naturales in pejus mutentur, aberrentque a ratione a natura praescripta; chirurgia vero medetur morbis ab initio statim naturae contrariis: magnum mehercle inter utramque doctrinam discrimen, minime negligendum, quum ostendere in animo nobis sit, magnopere inter se discernendam esse utramque artem. Chirurgiam saepissime manu et instrumentis organismo laeso succurrere oportet: si omnia ejus remedia therapeutica fallunt, extirpare, amputare, urere necesse est, ut fini suo omnibus satisfaciat numeris: at ars nostra naturam comitari, optimamque eam sequi ducem oportet, ejus ministra sit, cui tamen non omnia permittat medicus obstetricius. Plus naturae committere potest, quam chirurgus; haec enim in re, quam ipsa adduxit, nunquam eum fallet irritamque faciet ejus operam, quam urgente ipsa natura susceperit. Chirurgus quidem ejus auxilio eodem, quo medicus obstetricius, gaudet modo, tardiore tamen et incertiore via eum comitatur per stadia morbosa, quam alterum in rebus obstetriciis, quibus agitur

finiendum negotium, cujus naturalis status jam eo probatur, quod certissima apparent stadia, quae nunquam fere transgreditur natura; graviditatis tempus fixum est, quin in ipso partus momento certas regulas sequitur natura, quas etiam puerperii tempus nunquam non observat. Stadia vero in chirurgicis morbis incerta: adsunt quidem, sed non respicit natura chirurgorum observationes regulasque ab iis firmatas, et vix possumus constituere tempus, quo finiatur stadium, aliudque incipiat. Certissimas vero in arte obstetricia periodos possumus statuere, nec unquam ab iis fallimur. Conferatur tantummodo naturalis partus decursus, quo summus concentus intimusque eorum, quae aguntur, inter se connexus invenitur *v*). Ob oculos veniat mechanismus, quem natura partus tempore sequitur et iis in casibus, qui non ad solitum modum finiuntur *w*).

§. 50.

Ob hanc vero naturae decursum accuratissimum magis floret in arte obstetricia semiologia, quam in omnibus aliis doctrinis, ut aiunt, practicis. Licuit per regularem hunc decursum certissimas statuere periodos, quin hodie adhuc veterum de hac re valent observationes, id quod in chirurgia non invenimus, in qua agitur de statibus morbosis, satisque constat, naturam aegram saepissime aberrantem nullum certum decursum sequi, difficiliusque cognosci aegrum statum quam sanum *x*). Quae semiologia obstetricia discenda proprium postulat studium, longe aliis nixa principiis,

---

v) J. J. Roemer D. sistens partus naturalis brevem expositionem. Gott. 1786 et 91. Saxtorph *Erfahrungen über die vollkommne Geburt.* Kopenhag. 1786.

w) C. M. Thode De partus mechanismo. L. B. 1777.

Fr. Carl Naegele *Ueber den Mechanismus der Geburt* in Meckel's *deutsch. Archive für die Physiol.* 5ter Bd. 4tes Heft.

Ad. von Solingen *das Mechanische der Geburt etc.;* a. d. Holländ. v. Dr. Salomon. Hannov. 1801.

x) Conf. Bagliv. l. l. libr. II. cap. X. §. V. pag. 221. "Teste Plinio ignota sunt, per quae vivimus: sed si quid ipse judicare valeo, ignotiora sunt, per quae aegrotamus: nam minimum illud primo-primum et immediatum, quod morbos producit, a nobis profecto est incomprehensibile."

quam semiologia chirurgica y). In morbis chirurgicis visu praecipue opus est, quanquam nunquam tactus sit negligendus: in causas praedisponentes et occasionales magnopere inquirat chirurgus, ut de praesente morbi statu judicet: at non idem valet de arte nostra. Unam novimus causam antecedentem, quae est coitus: cetera nos manus nostra docet, quae in omnibus nostris in arte obstetricia operibus promta est. Sit oculus in manu! summum medici obstetricii praeceptum, secundum quod omnia sua perficiat z). Et medicus obstetricius, omnibus numeris absolutus, oculorum aliquando usu destitutus, nihilominus munere suo fungi posset. De chirurgo vero idem valere vix credo, qui, si artem suam cum obstetricia simul exerceat, magis tamen confideret visui quam tactui, et oculorum magis excoleret usum cum manuum peritiae dispendio.

§. 51.

Elucet ex supra dictis, talia artis obstetriciae esse principia, qualia non invenimus in chirurgia, et ob hoc jam sejungendam esse utramque doctrinam. Novissimis vero temporibus eo magis sejunctio necessaria facta est, quod et ars obstetricia et chirurgica longe alium obtinuit in re literaria locum, quam priore aetate, qua utraque ars medicis subdita tunc solum postularetur, si opus esset manuum cura. Qua finita et chirurgus et medicus obstetricius discedebant, medicusque curandam puerperam et infantem suscipiebat, ut antea gravidae prospiciebat. Recentiorum studiis indefessis contigit, ut hunc incommodum et noxium morem abrogarent, quoniam viri, qui ceteris quoque excellebant medicinae doctrinis, aut arti obstetriciae aut chirurgiae operam dederunt. Chirurgus igitur nomine suo dignus medicum aequat, non solum manui suae confidit, sed remediis quo-

y) Quanto pretio affecta sit omni tempore semiologia obstetricia, inde colligere licet, quod multi nobis sunt libri, qui hanc solummodo tractant rem. Conf. E. v. Siebold *Lehrbuch* l. l. I. Th. §. 46.

z) Vincenzo Malacarne: La esplorazione proposta come fondamento dell' arte ostetricia. Milano. 1791.

que intus adhibitis, quae therapia ei suppeditat, aegrum suum curat. Eodem modo medicus obstetricius morbis curandis operam impendit, siqui per graviditatem et puerperium feminis eveniunt: quin totus mulierum affectionum numerus ad provinciam ejus pertinet, quarum saepissime causa in corporis muliebris functione propagationis sita est, de qua optime judicare potest medicus obstetricius. Quare medici hodierni obstetricii affectiones mulierum quoque tractant et libris et usu, et elucet, quanto sit momento, historiae literariae oraculum consulere, et argumenta inde colligere, quae illustrant rem perspiciendam. Novus igitur rei obstetriciae apertus est campus, qui sejungit artem nostram a chirurgia, cui mulierum cura numquam concedi potest: medicus obstetricius optime cognovit sexum sequiorem, qui ei lubentissime sua committit; quin psychica earum pars, in qua saepissime radix malorum sita est, neutiquam eum fugit, qui eo in momento mulierem cognovit, quum ab omni simulatione alienissima soli naturae medicoque se dat auxilianti sexus, cui, ut vult Stollius, ne mortuo quidem credendum! Qua artis obstetriciae conjunctione cum therapia affectionum mulierum infantiumque recens natorum imprimis factum est, ut omnino discederet a chirurgia, suisque solis niteretur viribus; quum et amplior facta sit provincia, adscita in ditionem suam therapia, quam prioribus illis temporibus, quibus utraque, et ars nostra, et chirurgia, imperio medicorum erat subdita.

§. 52.

Hujus loci esse videtur, artis obstetriciae cum ceteris medicinae partibus nexum indicare, quem ratio ostendit; clarior inde lux sejunctioni illi utilissimae affulgebit, quam sine ceterarum doctrinarum detrimento concedi posse apparebit. Constat, omnes doctrinas firmissimo inter se teneri vinculo, quod quale sit, ratio docet. Singulae autem omnium, quae hoc nexu continentur, ita colendae sunt, ut rationis satisfiat praeceptis, nec illa, quae cum ceteris singulae cuique intercedit cognatio, negligatur. Quodsi igitur doctrinam quandam, ut hanc artem nostram obstetriciam,

ponamus propriis nitentem viribus, eodem gaudet cum ceteris jure, iisdem satisfacere debet officiis. Artem igitur nostram ponamus mediam, et videamus, quomodo ceterae doctrinae cum ea cohaereant. Circumdatur ars nostra, in medio jacens, ceteris medicinae doctrinis quasi orbe circumscripta, partim antecedunt eam, partim sequuntur, et aliae in laeva dextraque sitae sunt parte. Sunt igitur doctrinae, quae praeparant studium obstetricium, sunt, quibus ipsa viam sternit, et alias invenimus, quae per totum ejus spatium eam comitantur. Doctrinae, quibus instructi esse debent ii, qui arti obstetriciae operam dare velint, eaedem fere sunt, quibus ad quamlibet altiorem artis medicae partem exercendam opus est: ne de illis loquamur, quae quemlibet bene eruditum ornant virum, humanitatis studiis: sed ex medicina imprimis anatomia et physiologia adnumerandae sunt his studiis, quibus nullo modo carere potest medicus obstetricius. Talibus vero instructum medicum obstetricium esse debere et animi et corporis virtutibus, quae ad cetera studia medica non eodem necessaria sint modo, ex eo colligere licet, quod cum sexu ei res est, quae plurima a medico suo postulat, elegantissimam flagitat ejus curam, eas denique desiderat virtutes, quae nonnisi ex consuetudine cum sexu sequiori comparari possunt. Mulierum cognitio praecipue requiritur, quarum natura ex ipsis magis discenda est, quam ex libris *a*). — Multae sunt doctrinae, quibus viam facit ars nostra, omnes fere ex ejus proficiunt observationibus, easque in usum suum convertunt: sed inprimis physiologia his adnumeranda est, et quidem ille ejus locus, qui ad functiones generis propagandi

---

a) Fischer dissert. de officio obstetricio. Erfurt. 1723.

Kraft d. de pietate obstetricum. Jen. 1744.

Roederer: de artis obstetriciae praestantia, quae omnino eruditum decet, quin imo requirit. Gott. 1752. in ej. opusc. p. 1 - 16.

Joerdens: *Von den Eigenschaften des ächten Geburtshelfers.* Leipz. 1789. 8.

E. v. Siebold: *Allgemeine Maximen des Savoir Faire's des Frauenzimmerarztes in dessen Handb. der Frauenzimmerkrankh.* l. l. 1. Theil p. 129.

Derselbe: *Ueber den Gebärmutterkrebs* l. l. p. 21.

pertinet, quum medico obstetricio hunc vitae processum accuratissime observare liceat, itaque utilissima est artis nostrae cum therapia affectionum mulierum conjunctio. Eosdem fere fructus ex ea capit medicina forensis, in qua saepissime agitur de criminibus ex arte solummodo obstetricia declarandis, ut exemplo nobis sunt occulta graviditas, infantium necatio et tal. compl. — Comitantur vero artem nostram doctrina therapeutica et chirurgica, ex quibus sua sumere ei licet, si de statu morboso agitur, quibus partim remediis intus adhibendis, partim mechanicis succurrere debet. Genitalium vitia imprimis hic nominanda sunt, quae impediunt, quo minus mulier muneri suo satisfaciat. — Elucet, quibus officiis non deesse debeat ars nostra, satisque eam dignam esse, quam ut singularem partem tractemus ab omnibus aliis medicinae doctrinis sejunctam, quum una omnium gravissima sit et ad discendi difficultatem et ad variam multiplicemque, quae in reliquas omnes ex ea redundat, utilitatem.

§. 53.

Superest, ut quaeramus, utrum chirurgia carere possit medicus obstetricius, quam aiunt operatoria, an omnino illam ommittere liceat? Priore §. jam diximus, opus esse interdum auxilio mechanico e chirurgia sumto, in rebus obstetriciis, et si medicus, qui obstetriciam artem non exercet, chirurgia operatoria potest carere, tamen non idem valet de medico obstetricio, cujus curae totam se commisit mulier, a cujus arte exspectat auxilium, quem pudorem in altero sexu aestumare oportet: et bene cum eo agitur, si chirurgicum manuum usum callet, quo mulierum satisfacere voluntati possit. Facilius etiam perficiet operationes suas chirurgicas, ad vitia genitalium praecipue pertinentes, quum ex arte sua jam satis cognoverit haec loca occultissima, manibusque suis peritissimis satis confidere possit. De sectione caesarea, synchondrotomia sermo hic esse non potest: artis obstetriciae sunt operationes, et omni tempore peractae a medicis obstetriciis vel chirurgis, qui arti nostrae exercendae operam dederunt. Morbi vero uteri, qui sunt scirrhus, polypi, excrescentiae etc. genitalium externarum vitia hic sunt nominanda, ad quae curanda medici obstetricii petitur auxilium, et historia medica docet nos, a medicis obstetriciis saepissime

peractas esse has operationes *b*). Medicus enim, artis obstetriciae imperitus, vel in ea parum exercitatus, saepissime errabit in diagnosi horum morborum, maxumumque e neglecta exploratione interna in aegras oriri damnum constat. Exemplo sint menstruationis vitia et haemorhagiae. — Diversa quaestio est haec, an chirurgus esse possit medicus quoque obstetricius et ejus ars in ea quoque versetur exercenda. Ommissis iis, quae supra jam de conjunctione utriusque artis non permittenda diximus, addere sufficiat, in adhibendis manibus instrumentisque jam satis inesse causae, quod nullo modo admitti possit. Summo opus est in exercenda obstetricia arte virium impendio, sive utamur manibus sive forcipe, quod quam verum sit, neminem fugit, qui vel infantem verterit, vel unquam forcipem manibus tractaverit. Ad operationes vero chirurgicas, amputationes, extirpationes, herniotomias manus chirurgi facilis et habilis, nec tam validae corporis vires requiruntur. Quibus elegantissimis chirurgicae artis operationibus postulatisque supradictis satisfacere non potest medicus obstetricius, qui manus suas crebro forcipis usu versionibusque infantium difficillimis faciendis ad eas inutiles reddidit. Novum hoc est argumentum, non posse conjugium intercedere inter utramque doctrinam, quod a nobis commemoratum est hic demum, cum in externo utriusque sit statu.

---

b) Confer. ad hanc rem: *Eine vollkommne Extirpation der scirrhösen nicht prolabirten Gebärmutter, verrichtet und beschrieben* von El. v. Siebold. *Im Journal für Geburtshülfe etc.* herausgegeb. von demselben. IV. B. 3tes St. Frankf. a. M. 1824. 8. p. 507.

De polypis uteri auct. C. Mayer. Berolini. 1821. 4.

ERRATA.

pag. 6.	in annot. *k*	lin. 4	loc. tortunato	lege	Fortunato
— 8.	in annot. *q*	— 4	— editionum	—	editionis
— 14.	in annot. *d*	— 1	— R.	—	F. Quintil.
— 15.	in annot. *f*	— 4	— Samiel	—	Samuel
— 31.	in annot. *m*	— 1	— usitatum	—	usitatam
— 33.	in annot *u*	— 4	— ethalia	—	lethalia